

FORTITER ET SUAVITER





BREVIS ELUCIDATIO

TOTIUS MISSÆ.



BREVIS
ELUCIDATIO
TOTIUS MISSÆ

INTERROGATIONIBUS ET RESPONSIONIBUS DISTINCTA

AB ILLUSTR. ET REVER. DOM.

D. Francisco VANDER BURCH,

ARCHIEPISCOPO ET DUCE CAMERACENSI, ETC.

EX PLURIMIS MISSÆ EXPOSITORIBUS, ALIISQUE PROBATIS AUTHORIBUS COLLECTA.



PARISIIS | TORNACI

P. LETHIELLEUX, | H. CASTERMAN,

VIA VULGO BONAPARTE, 66. | VIA VULGO AUX RATS, 11.

H. CASTERMAN,

CANCELL. EPISCOP. TYPOGRAPHUS,

MDCCCLX.

UNIVERSO CLERO DIŒCESIS TORNACENSIS,

HANC EDITIONEM

Brevis elucidationis totius Missæ

CURIS SUIS RECUSAM ET AUCTAM,

IN MEMORIAM

VIGESIMI QUINTI A SUA CONSECRATIONE ANNI,

ATQUE

IN DEVINCTI GRATIQUE ANIMI PIGNUS

DICAVIT OBTULITQUE

GASPAR-JOSEPHUS LABIS,

Episcopus Tornacensis.

1860.

Nota. — Huic editioni restituitur præfatio quæ primæ editioni præfixa fuerat ab Ipso Ill. ac RR. Auctore, quæque desideratur in exemplari Moguntiæ edito anno 1744.

Textui Moguntino nonnulla adduntur, sive in ipsius *Elucidationis* decursu, sive ad ejusdem calcem instar supplementi. Addita autem accurate a textu originali distinguuntur hoc duplici signo [ ], intra quod reperiuntur posita.

Franciscus Vander Burch, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus, et Dux Cameracensis, etc., omnibus Presbyteris nostræ diœcesis salutem in Domino. Nihil æque optandum, quam ut opus omnium operum maximum, et Divinissimum, sacrosanctum scilicet Missæ Sacrificium, ab omnibus omnino Sacerdotibus cum debita reverentia ac devotione peragatur. Ad id plurimum conducit intelligentia eorum, quæ in ipso Sacrificio leguntur, tractantur et geruntur. Ea de causa hunc libellum, ex plurimis Missæ expositoribus aliisque probatis authoribus collectum, vobis offerimus, cum desiderio ac prece, ut quidquid ex eo ad pie celebrandum

profuturum cognoveritis, non negligatis, sed debite ruminetis, ac in praxim redigatis; neve ad tantum mysterium accedatis unquam, nisi, conscientia diligenter discussa, nihil in ea esse judicaveritis quod dignam Communionem impediat. Id si fecerimus, Deus ad nos et Sacrificia nostra respiciet, sicut respexit ad Abel, et ad munera ejus, ac uberrimos eorum fructus consequemur. Hoc ipsum orate quicumque hæc legeritis, et bene valete. Montibus Hannoniæ, kalendis septembris 1639.

De mandato præfati Illustrissimi et Reverendissimi Domini,

Foulon, *secret.*

BREVIS ELUCIDATIO

TOTIUS MISSÆ.

CAPUT I.

QUÆDAM PRÆLUDIA MISSÆ.

Priusquam elucidationem ipsius Missæ ingrediamur, sex præludia præmittemus.

PRÆLUDIUM I.

DE SACRIFICIO.

Q. 1. *Quid est sacrificium proprie dictum?*

R. Est externa oblatio rei sensibilis, per realem illius immutationem, a legitimo ministro facta Deo, in recognitionem supremi dominii ipsius, et nostræ subjectionis.

Q. 2. *An omnis oblatio sit sacrificium?*

R. Omne sacrificium est oblatio, et doni alicujus præsentatio, facta Deo : sed non e diverso omnis oblatio facta Deo est Sacrificium, ut constat ex oblationibus primogenitorum, primitiarum, decimarum, et ejusmodi rerum in quibus nulla fiebat realis mutatio.

Q. 3. *An interna oblatio, qua quis cor suum et se totum Deo offert, non sit Sacrificium?*

R. Vocatur quidem Sacrificium, Ps. 4: *Sacrificate Sacrificium justitiæ:* et Ps. 50: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* et alibi : non tamen est Sacrificium proprie dictum, nam ad illud etiam requiritur externa oblatio. Quamvis enim Deus intueatur cor, et non egeat externis signis ad cognoscendum hominis affectum; nihilominus recte voluit hominem constantem invisibili anima, et visibili corpore, sibi cum interna submissione, devotione, et affectu, offerre exteriores rerum sensibilium hostias; et profiteri coram hominibus fidem suam, et Religionem divinam.

Q. 4. *Si rei, quæ offertur, immutatio realis ad Sacrificium requiratur, quomodo in Veteri Lege oblationes bestiarum pacifica-*

rum et similium, quæ non totæ consumebantur, sed pars cedebat offerenti, erant verum Sacrificium?

R. Ad essentiam Sacrificii non requiritur realis immutatio totius rei oblatæ, sed sufficit ad cultum Dei consumi hostiæ ac rei oblatæ partem, et sic realiter immutari.

Q. 5. *An Deo gratius sit Sacrificium, quam simplex rei oblatio?*

R. Est gratius, cæteris paribus : quia bestiæ immutatione reali et Sacrificio, tamquam perfectissimo Dei cultu, protestamur, non simplex dominium divinum sed absolute supremum in nos, et res omnes : quo tamquam supremus Dominus vitæ et mortis potest mortificare et vivificare, immutare res omnes et in alias convertere, ac in unum omnia coarctare : cujusmodi protestatio non fit per simplicem rei oblationem.

Q. 6. *Quomodo in Sacrificio Missæ fit immutatio, cum Corpus Christi, quod offertur, sit immortale, nec ulli immutationi subjectum?*

R. Fit vere realis immutatio, quia materia et substantia panis et vini, quæ est secunda-

ria hostia, et *terminus a quo* transsubstantiationis, tota immutatur in Corpus et Sanguinem Christi, tamquam *terminum ad quem* primariamque hostiam. *Præterea* Christus per consecrationem mystico quodam modo occiditur, dum per modum hostiæ occisæ, seorsim vi verborum Corpus et Sanguis in altari exhibentur. Et hic modus est facilior intellectu magisque respondet ordinario sacrificandi modo, qui supponit hostiam, non producit. Itaque sicut olim fiebat Sacrificium, quando malleo, gladio, vel cultro materiali mactabatur, jugulabatur et cædebatur hostia, nempe agnus, vel vitulus, et sanguis separabatur a carne : ita nunc fit Sacrificium, quando vi verborum consecrationis, Corpus et Sanguis Christi ponuntur seorsim tanquam rei occisæ et immolatæ, Corpus sub specie panis, et Sanguis sub specie vini. Unde verba consecrationis sunt instar gladii, Corpus Christi, quod est in cœlo vivum, est instar hostiæ vivæ et immolandæ; Corpus ut positum sub specie panis, et Sanguis sub specie vini, habent se ut corpus agni nunc immolati. Leonardus Less. *lib. 12 de perf. divinis, n. 95.*

Q. 7. *An soli Deo fiat Sacrificium, et nulli alteri fieri possit?*

R. Fit soli Deo, eique soli debetur Sacrificium, tamquam supremus cultus latriæ. Unde S. Aug. l. 10. de Civit. Dei, c. 4: *Quis,* inquit, *sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et si alteri cuicumque Sacrificium fiat, non erit Sacrificium, sed Sacrilegium.

PRÆLUDIUM II.

DE PRÆPARATIONE ADHIBENDA, UT DIGNE QUIS MISSAM CELEBRET.

Notandum.

Sacerdotem celebraturum memorem esse oportet ordinationis Concilii Trid. Sess. 13. in decreto de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. cap. 7. ita statuentis : *Si non decet, ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud*

Apostolum legamus: Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans Corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris: quod si necessitate urgente, Sacerdos absque previa Confessione celebraverit; quamprimum confiteatur.

[Quo plenius Sacerdos consequatur saluberrimos Missæ fructus, ipsi curandum est ut illud offerat, non solum conscientia pura, sed etiam sincero pietatis sensu. Ad quem excitandum atque nutriendum et promovendum, maxime juvabit sequentia interdum, ac præsertim in recollectione spirituali, attenta mente meditari.

1. « Quanta cura, inquit Tridentinum, adhibenda sit ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur... » *Sess.* 22. *Decret. de observandis in celebratione Missæ.*

Similia profert Urbanus VIII in sua Bulla, *Si quid,* Missali præfixa. « Si quid est, ait, in rebus humanis plane divinum quod nobis superni cives (si in eos invidia caderet) invidere possent, id certe est sacrosanctum Missæ Sacrificium; cujus beneficio fit, ut homines quadam anticipatione possideant in terris

cœlum, dum ante oculos habent, et manibus contrectant ipsum cœli terræque Conditorem. Quo magis est mortalibus laborandum, ut hoc tantum privilegium cultu atque honore debito tueantur, caveantque Angelos negligentia osores, qui sunt æmuli venerationis. »

2. « Sacerdos celebraturus Missam, prævia confessione sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, Orationi aliquantulum vacet : et Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. » *Rit. celebr. Miss. Tit. I.n.* 1. Quocirca advertendum est per Rubricam modo absoluto ordinari ut Sacerdos celebraturus *Orationi vacet.* Cf. S. Alp. de Lig. *Th. mor. l. 6. de Euch. n. 410. d. 2.*

3. Valde etiam salutare est monitum quod Vinitor, *P. II. Tit. I. de præparatione Sacerdotis celebraturi,* §34, tradit hisce verbis : « Cum Sacerdos sacris induitur vestibus, nemini colloqui debet, neque loquentibus aures præbere, sed mentem et oculos ab omnibus amovere, quibus distrahi possit ; quod multo magis observandum, dum jam est

vestitus, et forte in sacristia expectandum; neque, sacris vestibus indutus, e sacristia exire, nisi cum ad altare eundum sit, neque cum iis, ut supra dictum est, confiteri, sed id faciendum, antequam sacris vestiatur vestibus.» Cf. S. Lig. *Selva tom. 2. Inst. 1. n. 6*, etc., necnon lib. IV *Imitat. Christi, c. 12.*

4. Ad mentem præterea revocentur mala quæ ex omissione seriæ et congruæ præparationis ad Missam, sequuntur. « Excuset qui potest, inquit Roncaglia, a gravi scandalo illum Sacerdotem, qui antequam celebret, per aliquod tempus in sacristia confabulatur, non solum de rebus indifferentibus colloquendo, sed etiam de iis, quæ non parum decent Sacerdotem. Accedit deinde ad sacras vestes induendas, et tunc vel omittit sacras preces, quarum sola omissio in opinione aliquorum est gravis culpa; vel, si recitet, variis sermonibus interrumpit. Procedit inde ad altare cum magna festinatione, huc, illucque oculos divagando; ac Missam ita festinanter celebrat, ut in ipsius initio jam ad finem anhelare demonstret; quæ acceleratio potest de se, ut dixi supra, esse

grave peccatum. Accedit, ad augendum scandalum, dari aliquando Sacerdotes, qui dum se ad populum convertunt, oculis procacibus adstantes et fortasse fœminas intuentur. Si nimis verum est, juxta vulgatum dictum, ut Sacerdos, *qui Missam præcipitat in infernum præcipitat*, quid dicendum de Sacerdote ex tot capitibus gravis scandali culpabili? » Hæc Roncaglia, *Tr. XVIII de Sacram. Euch. et de Missæ. Sacrif. q. II. c. 4. reg. 1. fin.* Cfr. quæ, de Sacerdote festinanter celebrante, scribit S. Lig. *Th. mor. l. 7. de Euch. n. 400:* « En, ait *ibi*, quomodo de hoc conquiritur venerabilis cardinalis Bellarminus, relatus in Bulla, *Annus qui*, etc. N. SS. Benedicti XIV (in Bullar. *t. 3. n. 3.* § 15): « Aliud est etiam lacrymis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum Sacerdotum incuriam aut impietatem, sacrosancta mysteria tam indecore tractentur, ut qui illa tractant, videantur non credere majestatem Dei esse præsentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore, et tremore, festinatione incredibili Sacrum perficiunt quasi fide Christum Dominum non viderent,

aut ab eo se videri non crederent. » Cfr. quæ idem S. Doctor habet in *Selva, tom. 2. Inst. 1. n. 10 et sqq.* Item Ben. XIV tum. *sect. II de Sacrif. Missæ, n. 228,* tum *Inst. 34. n. 28 sq. et 31,* ubi exploduntur varii prætextus, excogitati pro tuenda ista detestabili corruptela.]

PRÆLUDIUM III.

DE MULTIPLICI USU, SEU FRUCTU MISSÆ, QUEM CELEBRANS, VEL AUDIENS DEBET INTENDERE.

Q. 1. *Quotuplex potissimum est Missæ usus seu fructus, ad quem intendere debet, eam celebrans, vel audiens?*

R. Quintuplex, ut mox constabit ex sequentibus. Hinc :

Q. 2. *Quis est primus fructus Missæ?*

R. Ut summum dominium divinæ Majestatis homo agnoscat, ut se totum ex ea pendere, ejusque obedientiæ ac honori omnia sua devovere, externo Missæ Sacrificio profiteatur. Nam omne Sacrificium fit in recognitionem supremi dominii divini, et subjectionis nostræ : et specialiter Sacrificium Missæ est *latreuticum* et adorativum Dei.

Q. 3. *Quis est secundus?*

R. Ut per hoc idem Missæ Sacrificium vivam memoriam amaræ Passionis Jesu Christi homo recolat, juxta quod monet Christus : *Hoc facite in meam commemorationem.* I. ad Corinth. XI. 24, et ejusdem Passionis vim et efficaciam vestigia sequendo, se in omnibus mortificare fortiter proponat.

Q. 4. *Quis est tertius usus Missæ?*

R. Ut homo recogitans immensa Dei beneficia spiritualia et temporalia in se, et suos, ac totam Ecclesiam, et non habere se aliud, quo gratitudinem suam satis testetur : suum cœlesti Patri offerat Filium, velut holocaustum in gratiarum actionem. Est enim Sacrificium Missæ *Eucharisticum* et in gratiarum actionem institutum.

Q. 5. *Quis est quartus fructus Missæ?*

R. Propitiatio pro peccatis tam vivorum, quam defunctorum, et evasio omnium hujus et futuri sæculi suppliciorum. Idem enim Sanguis hic effusus fuit in remissionem peccatorum. Unde et Sacrificium Missæ est maximè PROPITIATORIUM. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum*

pœnitentiæ concedens crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit, inquit Conc. Trid. *Sess. 22, Cap. 2. de Sacrificio Missæ.*

Q. 6. *Quis est quintus usus Missæ?*

R. Ut quævis Dei beneficia spiritualia et æterna, et, quatenus saluti expedit, etiam temporalia et corporalia obtineamus. Est siquidem Sacrificium Missæ efficacissime *impetratorium.* Hic enim Filius Dei, tanquam Pontifex, Advocatus, et Mediator noster seipsum offert Deo Patri per manus Sacerdotis, ut, quæ petimus, consequamur.

PRÆLUDIUM IV.

DE CAUSIS CÆREMONIARUM MISSÆ GENERATIM.

Q. *Ob quam causam ex Apostolica Traditione ad Missam cæremoniæ accesserunt?*

R. I. Ut per eas rebus tam augustis sua Majestas servetur.

II. Ut per eas, velut res sensibiles, mens hominum sensibilibus addicta, instruatur, et ad pietatem excitetur. Conc. Trid. *Sess. 22. Cap. 5. de Sacrificio Missæ.*

III. Ut harum quædam, visibiles sint orationes. *Exempli gratia :* Signum Crucis ad multas orationes additum; nam non modo significat Christi patientis varios, et occultos dolores, tum in Crucis gestatione, tum in ipsa crucifixione; verum etiam tantumdem valet, ac si verbis adderetur : *Præsta, Domine Deus, hoc vel illud per meritum Crucis et Passionis Christi.* Et licet non omnium Cæremoniarum ratio a nobis reddi possit, omnes tamen omni cum reverentia admirari, suspicere, venerari, ac servare debemus, et nullatenus dubitare, quin magna prudentia et ratione instituta sint omnia, quæ in divinis geruntur officiis.

PRÆLUDIUM V.

DE SACRIS VESTIBUS CELEBRANTIS.

Notandum.

Sicut in Veteri Testamento magnifice ornabantur Sacerdotes, ut populo religionem incuterent, et ipsi intelligerent, quanto apparatu excolendus esset animus; ita vestes sacræ in Sacrificii Missæ celebratione assumuntur

ad sacrosancti mysterii reverentiam, ad Christi Passionem repræsentandam, et ad Sacerdotis et populi instructionem ac doctrinam.

Q. 1. *Quid Amictus, quo Caput Sacerdotis obvelatur, repræsentat?*

R. I. Potest repræsentare Christi Domini humanitatem, qua obvelata fuit divinitas. Capitis enim nomine intelligi potest divinitas Christi juxta illud Apost. I Cor. 11 : *Caput Christi Deus;* et Amictus nomine significari potest humanitas ejusdem juxta illud Apoc. 10 : *Vidi Angelum Dei fortem, descendentem de cœlo, amictum nube,* id est, vidi Christum magni consilii Angelum, cujus divinitas occultata erat in assumpta humanitate.

II. Significat etiam velum, quo in domo summi Sacerdotis Caiphæ, velata fuit facies Christi, et colaphis cæsa, cum hac irrisione, et sarcasmo : *Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit?*

III. Potest quoque idem Amictus significare Sudarium, quo caput Christi defuncti, et sepulti fuit involutum; de quo, Joannis 20, dicitur : *Sudarium, quod fuerat super caput Jesu, non erat cum linteaminibus positum,*

sed separatim involutum in unum locum.

Q. 2. *Quid Alba repræsentat?*

R. Christi vestem albam, qua ab Herode illusus fuit.

Q. 3. *Quare, dum Albam induit Sacerdos, prius manicam dexteram brachio dextero, postea sinistram sinistro imponit?*

R. Quia dextera manus Christi prius Cruci affixa fuisse creditur, quam sinistra. Revelationum Beatæ Brigittæ, *lib. 1. cap. 10. n. 9. et lib. 4. cap. 70. n. 6.* idque juxta solemnem crucifixionis ritum, quem a dextra manu exordiri mos fuit, uti notat Lipsius, *lib. 2. de Cruce, cap. 10.*

Q. 4. *Quid Manipulus, Stola et Cingulum significant?*

R. Possunt significare vincula, quibus Christus habuit manus, collum, et corpus alligatum in sua apprehensione, flagellatione, et deductione ad supplicium Crucis.

Q. 5. *Quid Casula significat?*

R. Chlamydem coccineam et purpureum indumentum, quo Christus indutus a militibus, et illusus fuit.

Q. 6. *Quid Casulæ anterior pannus oblongus repræsentat?*

R. Repræsentare potest columnam, ad quam fuit alligatus Christus in flagellatione.

Q. 7. *Quid Crux posterioris panni Casulæ repræsentat?*

R. Illam ipsam Crucem, quam Christus humeris et dorso gestavit.

Q. 8. *Quid panniculi quinque quadrati ejusdem cum Casula coloris, qui subinde assuuntur Amictui, et Albæ, significant?*

R. Quinque præcipua vulnera Christi.

Q. 9. *Quid Sacerdotis Corona significat?*

R. I. Christi spineam Coronam. *S. Germanus in Theoria.*

II. Abjectionem terrenarum cogitationum. *S. August. lib. de contemptu sæculi.*

III. Vitiorum resectionem. *Stephanus Eduensis in prologo libri de Sacramento altaris.*

IV. Regiam Sacerdotis dignitatem. *S. Isidorus, lib. 2. de Ecclesiasticis officiis. cap. 4.*

PRÆLUDIUM VI.

DE QUIBUSDAM ORATIUNCULIS A SACERDOTE, DUM SACRIS VESTIBUS INDUITUR, RECITARI SOLITIS.

Notandum.

Inter induendum prædictas vestes, ne mens celebraturi, vel tantillo temporis spatio a piis exercitiis vacans, per distractiones ineptior fieret offerendo Sacrificio, oratiunculas, quæ singulis ornamentis correspondeant, legendas ordinavit Ecclesia.

§ 1.

ORATIO AD AMICTUM.

Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Q. *Quid per* caput, *quid per* galeam salutis, *quid per* diabolicos incursus *intelligitur?*

R. Per *caput*, intelligitur mens: per *galeam salutis*, seu, ut Apostolus, I. Thess. 5. ait: *galeam spem salutis*, intelligitur salutaris Dei protectio, et interna fortitudo, spesque Theologica de salute æterna consequenda, et obtinendis mediis necessariis ad illam; per

diabolicos incursus, intelliguntur quævis tentationes mentem hominis vulnerantes, præsertim officio præsenti maxime noxiæ, ut irreverentia, distractio, scrupulositas, vana gloria, et similes, ut sensus sit : Dignare, Domine Deus, mentem meam spe salutari, divina tua protectione, ac interno robore, sic munire, ut numquam desperatione, aut pusillanimitate dejiciatur, nec præsumptione efferatur, nec ullis diabolicis tentationibus vulneretur, et nunc maxime defendatur ab irreverentia, distractione, vana gloria, et similibus, quæ dignam celebrationem impedire consueverunt.

§ 2.

ORATIO AD ALBAM.

Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Q. *Quis est sensus hujus orationis?*

R. Hic est : Dona mihi, Domine, per lavacrum Passionis Christi, cor mundum ab omni macula peccati, quo tam decenter offeram hanc mundissimam Hostiam, ut merear

beatis, in stolis albis deambulantibus, assimilari.

§ 3.

ORATIO AD CINGULUM.

Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis : ut maneat in me virtus continentiæ, et castitatis.

Notandum.

Hæc Oratio per se clara est, sed cum sensu est recitanda, et satagendum, ut munditiam cordis et corporis tantorum mysteriorum puritati et sanctitati correspondentem adferamus.

§ 4.

ORATIO AD MANIPULUM.

Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris; ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Q. 1. *Quid petitur hac oratiuncula?*

R. Petitur gratia in hujus vitæ, per sinistram significatæ, laboribus, et doloribus, qui per molestum involucrum brachii sinistri designantur, tam pie lugendi, et tam fideliter laborandi ; ut æternæ consolationis mercede

aliquando digni inveniri mereamur, et postquam hic flentes seminaverimus in spiritu, in futura vita cum exultatione portemus manipulos nostros, æternam gloriam metentes.

Q. 2. *Cur sinistro potius, quam dextero brachio manipulus imponitur?*

R. Tum ob causam jam dictam, tum ut ex corde, quod est a sinistris, laborandum esse moneamur, tum ut brachium dexterum liberius sit ad ministerium.

§ 5.

ORATIO AD STOLAM.

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis : et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Q. *Quis est sensus præfatæ orationis, et quid specialiter significat* Stola?

R. Per *Stolam,* quæ Albæ supervestitur, videtur Corpus nostrum significari, quod animæ quoddam indumentum est, quodque, si Adam non peccasset, habuissemus innocens seu nullis pravis passionibus subjectum, nec

spiritui rebelle. Itaque Sacerdos non contentus puritate animæ per Albam significatæ, insuper petit corpus, ab inordinata concupiscentia et interna sollicitatione ad peccandum, mundari. Verum ut significet se intelligere, hoc sibi non dandum ante resurrectionem, addit petitæ innocentiæ et immortalitatem. Vel per *Stolam* significatur innocentia et justitia originalis, eique respondens beatitudo, et gloria animæ et corporis, (*Apoc. 6.*) quam perdidimus in prævaricatione primi parentis, et quam nobis reddi petimus meritis secundi Adæ Jesu Christi. Itaque hac oratione petimus nobis reddi perditam sanctitatem et beatam immortalitatem.

§ 6.

ORATIO AD CASULAM.

Domine, qui dixisti : Jugum meum suave est, et onus meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

Q. *Quis est sensus hujus oratiunculæ?*

R. Hic esse potest : Domine, qui dixisti, et vere dixisti, Jugum legis tuæ esse suave,

et onus mandatorum tuorum leve; qui etiam imperasti: *Tollite jugum meum super vos; fac* adjutorio tuo, *ut istud portare sic valeam quod consequar tuam gratiam;* gratiam, inquam, vitæ æternæ, quæ est gloria. *Rom. 6.* Vel, o Domine, qui per gratiam et charitatem tuam omnia supportantem et alleviantem, quodvis genus vitæ, quod te authore ducitur facile reddis; da mihi officium sacerdotale hac veste sacerdotali significatum sic obire, ut mihi sit meritum vitæ æternæ.

CAPUT II.

INITIUM MISSÆ, ET QUÆDAM ALIA ILLUD CONSEQUENTIA, USQUE AD OFFERTORIUM.

§ 1.

DE PROGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE, ET PSALMO JUDICA ME DEUS.

Q. 1. *Quem Sacerdos, ad Altare procedens, nobis repræsentat?*

R. Christum ad montem Calvariæ, ubi pro nobis offerendus erat, voluntarie euntem.

Q. 2. *Cur ante omnia Sacerdos dicit :* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen; *et interim signat se signo Crucis?*

R. Quia res tanti momenti, et augustissimum hoc novæ Legis Sacrificium convenientisssime inchoatur ab invocatione SS. Trinitatis. Si enim cuncta nostra oratio et operatio a Deo semper incipienda est, et per eum cœpta finienda, multo magis hæc orationum, operationumque nostrarum excellentissima. Dum autem præfata verba dicit Sacerdos, interim signat se signo Crucis. Et merito, nam si æquum est, ut ante omnem actum, manus pingat Crucem, id maxime fieri convenit ante accessum ad Altare, in quo sacrosanctum mysterium peragendum est.

Q. 3. *Cur dicto:* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen, *immediate subjungit Sacerdos :* Introibo ad Altare Dei?

R. Ad excitandum se, ut viva fide recogitet præsentiam Dei, atque non ex consuetudine et cum tepore, sed cum alacritate ac fervore spiritus officium aggrediatur.

Q. 4. *Cur ea, et sequentia dicens, jungit manus ante pectus, junctis pariter et extensis digitis, et pollicem dexterum super sinistrum ponit in modum Crucis?*

R. Hanc junctionem manuum et signum Crucis fieri humilitatis gratia et excitare ad devotionem. Videtur etiam hoc gestu fateri Sacerdos, se supplicium mereri. Videtur et indicare, se in flagella paratum esse, et simul deprecari, ne ligatis manibus mittatur in tenebras exteriores.

Q. 5. *Quis est sensus Psalmi :* Judica me Deus, *prout Celebraturo congruit?*

R. Sensus, qui illi hic attexitur, commodus et appositus videtur.

Judica me, Deus et discerne causam meam de gente non sancta. Judex meus esto, Deus, et quamvis ex meipso nihil habeam, quod ab impiis me discernat; tamen gratia et justitia tua mihi infusa, discerne me ab impiis, et causam meam ab hypocritis, qui speciem sanctitatis et non rem habentes, huic se altari in magnam animæ perniciem ingerunt. Siquidem aliam revera in celebrando causam et intentionem habent,

quam veram pietatem, atque ita non sancte sacrosancta tractare præsumunt; cum quibus etsi ritus, gestus, habitus, et similia externa habeam eadem, da ut causam, et intentionem habeam diversam, nempe sinceram, piam, sanctam.

Ab homine iniquo et doloso erue me. Ne vel metu iniquis et violentis, vel errore dolosis consentiens, similis fiam multis indigne communicantibus. Vel, erue me a diabolo, qui in Evangelio vocatur *inimicus homo,* et qui inique ac dolose me quærit perdere.

Quia tu es Deus fortitudo mea. Quasi diceret : ideo peto, ut discernas causam meam, et eruas me, quia id per me non possum : imo mihi relictus, quovis malo pejor ero ; sed agnosco te mihi hanc fortitudinem dare posse, qua ab hypocritis dissimilis maneam. Itaque de propriis viribus diffidens, in te solo spem habeo; et qui hactenus a te confortatus et corroboratus, omnia mala et omnes inimicos meos superavi, in posterum confido idem futurum.

Quare me repulisti, et quare tristis incedo dum affligit me inimicus? Quandoquidem,

Domine Deus, tu sis fortitudo mea; quare mecum sic agis, quasi a protectione tua me repuleris? Et quare tristitia et mœrore tabescere me sinis, dum, te permittente, affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam. Emitte tandem, Domine, emitte opem, auxilium et internam lucem tuam de cœlis, quæ pulsis tristitiæ, mœroris, aliorumque malorum tenebris, me illuminet ac recreet.

Et veritatem tuam. Tuam in præstandis promissis veritatem, et fidelitatem declara erga me confidentem in te.

Ipsa me deduxerunt. Lux et veritas tua hactenus me deduxerunt in viam rectam.

Et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua. In Ecclesiam tuam, et in hæc sacrosancta penetralia tua, et sancta sanctorum. Eadem lux et veritas me deducent, et adducent per hujus mundi varietates in æternam beatitudinem.

Et introibo ad altare Dei : ad Deum qui lætificat juventutem meam. Luce et veritate tua comitibus, introibo ad altare Dei, in quo tibi sacrificium laudis offeram ; accedam

etiam confidenter *ad Deum qui lætificat juventutem meam,* qui consolatur me in omni tribulatione, et gratia sua facit me exuere veterem hominem cum actibus suis, et induere novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Quo etiam renovante, ut aquilæ, juventutem meam viribus spiritualibus receptis, alacer ac fortis efficior.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus. Non modo labiis te laudabo, sed corde et animo : *Psallam spiritu, psallam et mente,* jungamque voces meas cum vocibus beatorum citharædorum citharizantium in citharis suis. Ita faciam, *Deus, Deus,* inquam, *meus,* quem unice amo, colo et adoro.

Quare tristis es, anima mea? Noli rationem meam obscurare.

Spera in Deo. Resume animum, fiducialiter age, confortare, et esto robusta.

Quoniam adhuc confitebor illi : Salutare vultus mei, et Deus meus. Quia habeo, et adhuc habebo maximam occasionem dicendi, quod sit Salvator meus, et Deus meus, non permittens me rubore vultus suffundi, ac spe frustrari.

Gloria Patri, etc. Cum propter alia beneficia, tum vel maxime propter honorem et gratiam, quæ per talis mensæ præparationem mihi fit.

Q. 6. *Cur hic Psalmus omittitur in Missis Defunctorum et tempore Passionis?*

R. Quia tunc abstinemus a versu lætitiæ, *Gloria Patri,* etc., quo Psalmus concluditur, et quia est Psalmus lætitiæ : dicitur enim in eo : *Ad Deum qui lætificat juventutem meam; Salutare vultus mei;* et *Quare tristis es, anima mea?*

Q. 7. *Cur recitato Psalmo repetitur* : Introibo ad altare Dei, etc. ?

R. Quia loco et tempori maxime convenit : atque ideo recitanda cum mirabunda fidei excitatione, et grata mentis exultatione, q. d. Merito nunc excitemini ab omni somno distractionis, omnes animæ meæ vires, quando ego indignus homuncio, Dei dignatione vocor, et accedo non jam ad typicam arcam, manna continentem ut semel in anno solebat summus Sacerdos; sed *ad altare* Dei vivi et veri quod ipso Deo, et Angelis undique trementibus, et Dominum suum honorantibus, ac

meos gestus, verba, et actiones considerantibus plenum erit. Ad illud, inquam, *Altare,* in quo apud Deum totius mundi causam agere debeo, et unde sumptura est anima mea cibum cœlestem, quo juventus ejus, velut aquilæ, renovetur.

Q. 8. *Cur subjungitur* : Adjutorium nostrum in nomine Domini?

R. Quia cum sacrosanctum Missæ sacrificium requirat animam omni fide, reverentia, et attentione ac devotione continua præsentem, nec sit humanarum virium sic attollere mentem, ut hoc tempore et loco decet; merito orandum, ut *adjutorium nostrum sit in nomine Domini :* utque Sacerdos se illud expectare ostendat non suis meritis, vel digna præparatione, sed ex pura gratia et virtute Crucis Christi, dum prædicta verba dicit, signum Crucis a fronte ad pectus producit.

Q. 9. *Cur minister nomine Ecclesiæ respondet :* Qui fecit cœlum et terram?

R. Ut probet id merito Deum orari, *qui fecit cœlum et terram,* ac proinde omnipotens est, et potentissime nos adjuvare potest. Alioqui sane mox corpus, quod corrumpitur,

aggravabit animam, et terrena inhabitatio deprimet sensum multa cogitantem.

§ 2.

DE CONFESSIONE ET SUBSEQUENTIBUS EAM USQUE AD INTROITUM.

Q. 1. *Cur statim in principio fit Confessio?*

R. Quia *justus in principio accusator est sui.* Prov. 18, et propter effectum sequenti quæstione exponendum.

Q. 2. *Qualis est hæc Confessio, et cujus effectus?*

R. Non est *sacramentalis*, pia tamen, eaque fit, ut circa Sacramentum Confessionis oratio plebis proficiscens ex charitate (quæ cooperit multitudinem peccatorum) deleat per modum impetrationis peccata venialia Sacerdotis; ideoque reverenter audienda et suscipienda ministri, etiam pueri, oratio, *Misereatur tui,* etc. Neque enim suum tantum desiderium ille eloquitur, sed et populi præsentis, et totius Ecclesiæ militantis, quæ hujus ore utitur. Quemadmodum rursus eumdem effectum operatur Sacerdotis oratio pro

populo identidem confitente defectus suos, quo ut Sacerdos ad celebrandum, ita ille ad spiritualiter saltem communicandum possit fieri aptior.

Q. 3. *An usus hujus Confessionis ante Introitum Missæ sit antiquus?*

R. Quod sic; et constat, cum ex Micrologo *de Ecclesiæ Observat. cap. 1.* ubi aperte dicit præmitti solere Confessionem; tum ex Liturgia Sancti Jacobi, quæ incipit a Confessione.

Q. 4. *Cur Sacerdos se profunde inclinat, dum facit Confessionem?*

R. Quia divinis oculis placendum est etiam habitu corporis; et inclinatio ista exterior index est humilitatis, ac reverentiæ internæ, quam Sacerdos habere debet exemplo Christi Domini onerati peccatis nostris et *procidentis in faciem suam. Matth. cap. 26. vers. 39.*

Q. 5. *Cur non Deo tantum, sed etiam Sancti ejus confitemur?*

R. Hoc ideo fit, quod, quisquis Deum offendit, etiam omnes Dei amicos, id est, Sanctos, quantum in se est, contristat. Quem-

admodum et qui veram pœnitentiam agit, non tantum pium Pastorem Christum exhilarat, sed et omnes amicos ejus congratulantes.

Q. 6. *Cur Sacerdos confitetur etiam hominibus, dicens :* Et vobis fratres, *petitque ab iis pro se orari?*

R. Ob humilitatem, et ut exemplo prælucens populo, det ei occasionem vicissim confitendi, et petendi pro se orari, juxta accommodatitium sensum verborum D. Jacobi dicentis : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini.*

Q. 7. *Quid confitenti cogitandum, dum dicit, se peccasse* cogitatione, verbo, et opere, *et dum subdit :* mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa ?

R. Decet, ut præ oculis habeat ea peccata, quibus agnoscit se specialiter Deum offendisse, et piam quandam sui detestationem renovet, contra frequentissimam excusationem et extenuationem peccatorum, quam serpens infernalis illi, ut omnibus fere hominibus, latenter sæpe obtrudit.

Q. 8. *An in hac Confessione non possit*

addi nomen Patroni, vel alterius Sancti, erga quam celebrans habet devotionem?

R. Quod non, sine licentia Papæ. Gavantus *in thesauro sacrorum Rituum, part. 2. tit. 3*. qui dicit a Pio V. id concessum Ecclesiis Hispaniarum.

Q. 9. *Cur in hac Confessione pectus percutimus?*

R. Facimus id exemplo publicani, ad testandum magisque excitandum dolorem de peccatis; et per hoc fatemur nos flagellis et percussionibus dignos esse, simulque ad placandum Judicem, ne ultionem de nobis sumat.

Q. 10. *An, uno tantum præsente, Sacerdos dicere debeat :* Misereatur tui, etc., *sicut minister dicit :* Tibi Pater?

R. Semper dicendum est *Misereatur vestri*, et similiter uno tantum communicante dici debet *Misereatur vestri, et dimissis peccatis vestris*, etc. Gavantus *loco citato supra, part. 2. tit. 10*.

Q. 11. *Quis est sensus versiculi Confessionem et Absolutionem subsequentis :* Deus, tu conversus vivificabis nos?

R. Hic esse videtur : Deus, pro infinita in nataque bonitate tua, ab ira et vindicta conversus ad misericordiam, vitam spiritualem dabis nobis per gratiam et Eucharistiæ panem vivum.

Q. 12. *Quid sibi vult illa Responsio Ministri :* Et plebs tua lætabitur in te?

R. Idem est, ac si diceretur : Plebs tua Christiana, quæ tua est creatione, redemptione aliisque infinitis titulis, lætabitur non in rebus transitoriis, lætitia mundana, sed lætitia spirituali ; lætabitur in te tanquam Patre misericordiarum, et Deo totius consolationis.

Q. 13. *Quid petimus per orationem subsequentem :* Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam; Et salutare tuum da nobis?

R. Idem est, ac si diceretur : Noli secundum demerita nostra, et rigorem justitiæ tuæ nobiscum agere, sed fac nos experiri misericordiam tuam ; et in hoc Eucharistiæ Sacrificio et Sacramento, *Salutare tuum da nobis,* Salvatorem, inquam, nostrum Jesum Christum, ut omnium meritorum et gratiarum ipsius participes fiamus.

Q. 14. *Quid considerandum circa orationem :* Domine, exaudi orationem meam : Et clamor meus ad te veniat?

R. Ut si velimus Deum audire et exaudire orationem nostram, ad eam præsenti animo devote attendamus, et corde potius, quam ore clamemus.

Q. 15. *Cur Sacerdos dicens :* Dominus vobiscum, *extendit, et mox jungit manus?*

R. Extensione manuum quasi colligit adstantium corda; *junctione* quasi cogit eadem in unum ad orationem.

Q. 16. *Quo respicit Sacerdos, dum dicit :* Aufer a nobis, quæsumus, Domine, iniquitates nostras : ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

R. Videtur præ oculis habere figuram positam, Exodi 30, ubi prohibebatur sub pœna mortis ne Aaron, vel filii ejus ingrederentur Sancta Sanctorum, imo neque tabernaculum testimonii, nisi ad labrum æneum se lavissent.

Q. 17. *Cur Sacerdos ascendens ad Altare illud primo statim aggressu in medio deosculatur?*

R. Id fit in signum reverentiæ, et in testimonium jam initæ pacis, et reconciliationis cum Deo et Sanctis. Quatenus enim Altare lapideum est, Chrismate unctum, et quasi portans hostias, significat Christum lapidem fundamenti unctum gratia Spiritus Sancti, et præ participibus suis unione hypostatica Verbi: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, *Coloss. 2*, et omnes hostias bonorum operum nostrorum portantem, ita ut nihil boni, aut Deo accepti habeamus, nisi Christus hoc nobis det. Quatenus vero Altare continet Reliquias Sanctorum, sine quibus nullum Altare consecratur (nam Apocal. 6, vidit Joannes *subtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei*), est etiam in hoc osculo professio reconciliationis cum Sanctis, et eorumdem per hoc osculum ambitur intercessio.

§ 3.

DE INTROITU.

Q. 1. *Cur ita vocatur?*

R. Quia est initium Missæ. Conradus Bru-

nus, *lib. 2. de cæremoniis, cap. 1*. Et, ut dicit Alcuinus *de divinis officiis. cap. de celebrat. Missæ*, per Antiphonam, quæ hic dicitur, ad divinum officium introimus, sicut per introitum ostii ad secreta domus. Vel secundum Micrologum *cap. 1. de Eccles. Observat.* et Durandum *de Ritibus Ecclesiæ Cath. lib. 2. cap. 11. num. 1*, inde Introitus nomen habet, quia Sacerdote, qui paulo ante dixerat, *Introibo ad altare Dei*, ad illud introeunte, canitur.

Q. 2. *Cur Sacerdos, qui ante ingressum ad Altare, signo Crucis se signavit, iterum hic, et postea sæpius eo se signat?*

R. Cum Sacrificium Missæ sit Crucis et Passionis Christi memorativum, merito frequenter in eo Crux formatur : nec unquam Sacerdos illo se signat sine speciali ratione. Hic autem ideo id facit, quia, ut dictum est, Introitus est initium Missæ.

Q. 3. *Cur Introitus communiter incipit ab aliquo versiculo Psalmi?*

R. Ut in officiis nunc multum abbreviatis servetur aliquod vestigium veteris Ecclesiæ, quæ officio Missæ multos Psalmos præmittere

solebat, ut constat ex Dionys. Areopag. *cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ.* Imo Cælestinus I. Pontifex statuit, ut 150 Psalmi Davidis ad Introitum Missæ canerentur, ut in ejus vita scribit Anastasius Bibliothecarius, et Rabanus Maurus *l. 1. de Inst. Cleric. c. 32.* Berno Abbas, et alii.

Q. 4. *A quo versiculus* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, (*qui additur ad Introitum ex instituto Damasi Papæ*) *fuit compositus?*

R. Non a Sancto Hieronymo, ut opinatur Alcuinus *in lib. de divinis officiis*, sed a Concil. Nicæno, ut scribit Walfridus Strabo *libro de Observ. Ecclesiast. c. 25.* Imo a temporibus Apostolorum incepta est hæc glorificatio. Baron. *an. 325. n. 174.* Et per hunc versiculum temporibus Constantii Imperatoris Catholici discernebantur ab Arianis, qui non dicebant *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto,* sed *Gloria Patri* per Filium in Spiritu Sancto, ut patet ex Theodoreto *lib. 2. hist. c. 24.* et Sezomeno *lib. 3. c. 19.*

Q. 5. *Quando post* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto *subjungi cœpit,* sicut erat

in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen?

R. Id non est certum; interim constat ex capitulo 7. Concilii Vasensis celebrati anno 529, quod non solum Romæ, sed etiam in toto Oriente, et per Africam, post *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto,* subjungi solebat : *Sicut erat in principio, etc.*

Q. 6. *Cur introitus bis dicitur, et in medio Sancta Trinitas per* Gloria Patri, etc. *collaudatur?*

R. Ad significandum, quod Christus de Virgine natus introivit in hunc mundum, et fide Trinitatis nobis insinuata , ascendendo introivit in cœlum. Bonav. *de exposit. Missæ c. 2.*

Q. 7. *Cur in cornu Altaris, quod est a dextra Celebrantis, Missa inchoatur?*

R. Quia Judæis, qui per illud cornu intelliguntur, primo annunciatum fuit Evangelium, *quia salus ex Judæis, Joan.* 4, et ut dicit Bonaventura *loco supra citato,* ex stirpe Judæorum Christus humanitatem assumpsit.

§ 4.

KYRIE ELEISON.

Q. 1. *Quid significat :* Kyrie eleison?

R. Domine, miserere.

Q. 2. *Cur dicitur statim post Introitum?*

R. Quia ante omnem orationem Sacerdotum, necesse est misericordiam Dei implorare. Durand. *in Ration. divin. offic. lib. 4. c. 12.*

Q. 3. *Quare dicitur ter* Kyrie eleison, *ter* Christe eleison, *ter* Kyrie eleison?

R. Singulis in Trinitate personis ternam miseriam, nimirum culpæ, pœnæ, et defectus bonorum spiritualium exponimus, ut oculis misericordiæ suæ nos respicientes auferre dignentur a nobis miseriam culpæ indulgendo; miseriam pœnæ auferendo afflictiones; miseriam defectus, donando spiritualia, quibus maxime indigemus; atque ita SS. Trinitatis misericordia, novem choris Angelorum aliquando consociemur. Ut autem attentius et devotius hæc verba proferamus, expedit speciatim meminisse culparum nostrarum in prima harum vocum recitatione; pœnarum, et afflictionum in secunda; ac defectuum in tertia.

Q. 4. *Cur supplicatio ista dicitur lingua Græca et non Latina?*

R. Id fit ob reverentiam antiquitatis. In dicto Conc. Vasensi, Capitulo 5, jubentur Sacerdotes in Galliis ad Missam dicere *Kyrie eleison*, quod in Sede Apostolica, et per totam Italiam ita diceretur. Sanctus etiam Augustinus in altercatione cum Pascentio, quæ habetur inter Epistolas ejus num. 178. dicit ab omnibus Christianis, Græcis, Latinis, Barbaris supplicari Deo, ut misereatur, lingua Græca.

§ 5.

HYMNUS ANGELICUS.

Q. 1. *Cur ita dictus?*

R. Quia prima verba illius fuerunt primum prolata ab Angelis, Lucæ 2. Reliqua adjecta fuerunt ab Apostolis, Telesphoro, et aliis, *teste Innocentio III, lib.* 2. *de Mysteriis Missæ c. 20*.

Q. 2. *Quis est sensus hujus Hymni?*

R. Is, qui sequitur, multis probatur.

Gloria in excelsis Deo, Gloria Deo, qui est in cœlis excelsis. Et quia, nos terreni, et

mente nimium distracti homines, inidonei sumus dignas Deo, pro Incarnatione Christi, ac tota ejus dispensatione, gratias agere, oramus vos omnes excelsorum cœlorum habitatores (ad quod significandum ad hæc verba Sacerdos elevat manus), ut nostro nomine gloriam et laudem Deo detis, nosque congratulamur vobis illum laudantibus, ac vestras ei laudes offerimus.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Pax, inquam, et bona, benevola, placata et propensa voluntas Dei erga genus humanum, cui misit Salvatorem. Vel, utinam et in terris is totius dispensationis Christi sit fructus, ut nos homines fiamus, et simus bonæ voluntatis, atque ita veram pacem cum Deo, et inter nos habeamus.

Laudamus te, benedicimus te. Nimirum non tantum devoto cordis affectu sed hoc etiam Sacrificio.

Adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Hic gloria accipitur pro gratia, qua pro nobis incarnari, et pati Christus voluit, quia propter illam gratiam maxime glorificatus, et a nobis

glorificandus est. Deinde *propter magnam gloriam,* id est, gratiam tuam, quam dedisti nobis actualem et habitualem, qua maxime glorificaris, et qua nos ad æternam gloriam deducimur. Sic etiam accipitur ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Sane divina gratia est gloria quædam inchoata sicut gloria est gratia consummata.

Domine Deus scilicet te laudamus, *Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens,* qui cum tantæ sis majestatis, nos merito hic reverentes ac trementes requiris.

Domine Fili unigenite Jesu Christe, q. d. merito et tibi gratias agimus, quia cum esses impassibilis Dei Patris et ipse impassibilis unigenitus, et coæqualis Filius, nostri amore factus es Jesus Christus, id est, homo sic unctus præ participibus tuis gratia Spiritus Sancti, et divinitate Verbi, ut nobis Salvator esse posses.

Domine Deus, Patri æqualis secundum divinitatem.

Agnus Dei, factus scilicet homo, et hostia Deo accepta, veluti Agnus Paschalis, tostus igne charitatis, et passionis.

Filius Patris, scilicet existens et manens.

Qui tollis peccata mundi, in Cruce videlicet fuso Sanguine in expiationem peccatorum totius mundi.

Miserere nobis, ut videlicet hoc redemptionis nostræ pretium per istud Missæ Sacrificium nobis applices, et sic miserearis nostri dans remissionem peccatorum, et bonam vitam.

Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram, qua petimus nobis hoc tuum Sacrificium ad salutem prodesse.

Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis, iterata petitio fervorem indicat devotionis.

Quoniam tu solus sanctus, per te, et vi essentiæ tuæ. Itaque (*solus*) non excludit alias duas personas divinas, Patrem scilicet, et Spiritum Sanctum, sed quidquid non est Deus.

Tu solus Dominus, qui justo pretio nos redemisti.

Tu solus altissimus, tu solus excellentissimus, merito tuæ demissionis et humilitatis super omnes cœlos, et super omnia exaltatus,

Jesu Christe, qui quod vis facis, et cujus vis misereris.

Cum Sancto Spiritu, qui et ipse cum Patre per te omnia hæc bona nobis operatus est, quem proinde etiam cum Patre tecum altissimum oramus hanc misericordiam, ut nobis tua dispensatio prosit. *Amen.*

Q. 3. *Cur in fine hujus hymni, sicut et in fine Symboli, iterum se signat Sacerdos?*

R. Tum quia utrumque de Evangelio sumptum est, quod Crucem continet; tum quia Crucis super nos efformatio, symbolum quoddam est ac sigillum, imo et compendium professionis Fidei, laudumque divinarum; tum quia est realis quædam auxilii divini per Christi passionem invocatio, ad obtinendam in facta fidei professione, laudandoque Deo constantiam.

§ 6.

DOMINUS VOBISCUM.

Q. 1. *An hæc salutationis forma olim in Missa fuerit usitata, an vero recenter ab Ecclesia ordinata?*

R. Est antiquissima, ut constat ex Liturgiis Jacobi, Basilii et aliorum, in quibus passim legimus, *Dominus vobiscum*, aut *Pax vobis*. Et Dionysius Areopag. eam *divinissimam* appellat, quia non humanæ adinventionis arbitrio composita, sed ex antiqua sacri eloquii authoritate probatur assumpta. *Ruth.* 2. *et* 2. *Paralip. cap.* 16.

Q. 2. *Ad quid ea salutatio?*

R. Sacerdos populo per eam optat gratiam Spiritus Sancti, ut fideliter sibi sacrificanti cooperetur per pia vota et sancta desideria; et datur occasio populo, vicissim bene precandi Sacerdoti, dicendo, *et cum Spiritu tuo*, videlicet ad hoc, ut Deo dignum, sibique ac populo utile hic præstet officium.

Q. 3. *Cur Sacerdos ante hanc salutationem osculatur Altare?*

R. Accipit quasi pacem a Christo per Altare significato, ut eamdem det populo. Gavantus *loco supra citato, part.* 2. *tit.* 5.

Q. 4. *Cur toties dicitur :* Dominus vobiscum?

R. Hac frequenti salutatione Sacerdotis ad populum hoc agitur, ne populus negligenter

patiatur se distrahi, et per singulas salutationes petitur specialis gratia populo : *in prima* scilicet, ad pie cum Celebrante ore aut corde dicendam Collectam ; *in secunda,* ad bene attendendum Evangelio, et semen illud cœlestis Patrisfamilias bono corde, velut in terra bona, suscipiendum ; *in tertia,* ad pie cooperandum oblationi præparatoriæ, et sequentibus orationibus secretis ; *in quarta,* ad digne offerendum (per manus scilicet Sacerdotis) sacram Eucharistiam, et totum Canonem pie transeundum ; *in quinta,* (quæ est, *Pax Domini sit semper vobiscum*) petit Sacerdos, populum per veram cum Deo, et inter se pacem, idoneum fieri ad Communionem ; *in sexta,* excitatur populus, ad dignas Deo gratias agendas per Postcommunionem ; *in septima,* ut capax fiat ad percipiendam digne, et efficaciter sacerdotalem benedictionem.

Q. 5. *Debetne dici :* Dominus vobiscum, *si unus tantum sit præsens?*

R. Quod sic, quia salutatur Ecclesia. Alex. Alens. *part. 4. quæst. 36. membro 7.* Imo debet etiam dici a Sacerdote, qui solus recitat Horas, ut probat Petrus Damianus in lib.

quem edidit de *Dominus vobiscum*. Sicut et solus recitans Horas debet etiam dicere *Oremus, Benedicamus Domino, Venite exultemus Domino*, et infinita similia : Quia quidquid in sacris officiis a quibuscunque fidelibus particulariter agitur, hoc ipsa Ecclesia per unitatem fidei et charitatis amorem unanimiter agere videtur.

Q. 6. *Cur populus non respondet,* Dominus tecum, *sed dicit,* et cum spiritu tuo?

R. Ut totum, quod in Ecclesiasticis officiis geritur, spiritualiter fieri perpendatur. Petrus Damianus, in lib. *Dominus vobiscum,* cap. 3. Ut nimirum cor Sacerdotis repleatur devotione, et is non sola lingua oret, sed et mente, et spiritu.

Q. 7. *Cur Sacerdos hic et postea sæpius dicit* Oremus?

R. Ut se, et alios ad bene orandum excitet q. d. agamus, quod agimus.

§ 7.

COLLECTA.

Q. 1. *Quid est Collecta, et unde nomen habet?*

R. Est brevis oratio tempori, loco, et causæ celebrandi congrua, quæ docta brevitate colligit, et perstringit pia totius cœtus vota, seu quidquid pro toto populo a Deo postulandum est, et inde nomen suum sortitur. Walfridus Strabo *de rebus Ecclesiast. cap. 22*. Et Micrologus *de Ecclesiasticis observat. cap. 3*. Vel, quia super collectum populum dicitur. Alcuinus *loco supra citato*. Vel, ut meminerint tam Sacerdos, quam circumstantes, collectis animis corda et affectus suos ad Deum dirigere se debere, ne jure illis possit objici : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Marc. 7. 6*. Joannes Fabri Hailbrunen. *de Missa Evang. lib. 4. cap. 8*.

Q. 2. *Cur ea ordinarie dirigitur ad Patrem?*

R. Quia persona Patris est prima, et ab ea cæteræ originem ducunt. Non tamen inde sequitur Filium et Spiritum Sanctum non invocari : nam, ut Tertullianus *in l. de Oratione,* recte docet, propter essentiæ unitatem semper in Patre intelligitur Filius et Spiritus Sanctus. Imo ex conclusione *Collectæ* aperte

colligitur cum Patre simul invocari Filium et Spiritum Sanctum, dum dicimus Filium et Spiritum Sanctum cum Patre vivere, et regnare per omnia sæcula sæculorum. Bellarminus *de Missa, l. 2. cap. 16*.

Q. 3. *Cur dictum est, orationem ordinarie ad Patrem dirigi?*

R. Quia subinde dirigitur ad Sanctissimam Trinitatem, ut infra *Suscipe Sancta Trinitas, etc.* et in fine Missæ, *Placeat tibi Sancta Trinitas, etc.* non raro dirigitur ad Filium, et quandoque ad Spiritum Sanctum, ut est illa in Pontificali Romano, sub titulo de Benedictione Abbatis : *Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, etc.* Item illa ibidem in ordine ad Synodum : *Adsumus Domine Sancte Spiritus, adsumus, etc.*

Q. 4. *Cur, quando ad Patrem dirigitur,* per sanctissimum Nomen Jesu *concluditur?*

R. Ut per ejus merita tanquam Mediatoris Dei et hominum, summi Sacerdotis et Advocati, ac Salvatoris nostri exaudiamur, juxta illud Joannis 14. *Quodcunque petieritis Pa-*

trem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.

Q. 5. *Cur ad finem Collectæ respondetur,* Amen?

R. Ut communem orationem, quam Sacerdos obtulit, omnes confirment. Micrologus *de Ecclesiast. observat. cap. 7.*

Q. 6. *Quid significat hæc vox Hebræa,* Amen ?

R. Idem, quod *Fiat;* insuper idem , quod *verum est.* Ambrosius *de iis, qui initiantur sacris mysteriis, cap. 9.* In priori sensu concordat vox *Amen,* cum oratione, posteriori sensu cum conclusione orationis : quasi confirmet populus verum esse, regnare Christum cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti. Innoc. III. *de mysteriis Missæ lib. 2. cap. 26.* Durandus *in Rationali, lib. 4.* sub rubrica : *de oratione seu collecta.* Utroque sensu accipitur. 1. ad Corinth. 14. *Qui supplet locum idiotæ* (id est populi imperiti), *quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem ?*

§ 8.

EPISTOLA.

Q. 1. *Quare in Missa legitur Epistola, cum non sit oratio, nec gratiarum actio?*

R. Ut per eam, sicut et per Evangelium, Deum nobis loquentem audiamus. *Per Epistolam* (quæ ex Lege, Prophetis, et Apostolis desumpta est) Deus loquitur nobis in Prophetis et Sanctis : *Per Evangelium* autem loquitur nobis in Filio. Unde Epistola significat Legem, Prophetas, Joannem Baptismam, Apostolos prædicatione sua viam Domino præparantes : Ideoque legitur ante Evangelium; in quo etiam legimus, quod Dominus binos et binos ante se misit. Alcuinus *de Divinis officiis, cap. de celebrat. Missæ.*

Q. 2. *Sufficitne verba Epistolæ et Evangelii distincte et aperte ad intelligendum legere?*

R. Non sufficit, sed opus est, ut ea et intelligere, et retinere, et opere complere studeamus. Neque enim doctrina, vel exhortatio

suum finem ante consequitur, quam opere præstetur. Ideoque sic legenda vel audienda est lectio, quam *Epistolam* vocamus (similiter et *Evangelium*), ut semper aliquid nobis maxime utile studeamus memoriæ imprimere, quod postea fideliter velut munda animalia ruminantes, reipsa præstemus : ut ita sit intellectus bonus facientibus eum, et non odor in mortem his, qui scientes voluntatem Domini sui, adhuc facerent digna plagis.

Q. 3. *Cur in Dominicis legitur Epistola de Novo Testamento?*

R. Quia Dominicus dies resurrectionem Domini et tempus gratiæ repræsentat.

Q. 4. *Cur in fine Epistolæ additur* Deo gratias?

R. Ut agnoscamus rem esse magna gratitudine dignam, quod Dominus Deus sanctas has Apostolorum et Prophetarum doctrinas reliquerit nobis, veluti lucernam lucentem in loco caliginoso, et doctrinæ suæ panem nobis frangere dignatur. Rupertus *lib. I, de divinis officiis, cap. 14.*

§ 9.

GRADUALE, ALLELUIA, TRACTUS ET SEQUENTIA.

Q. 1. *Cur Canticum subsequens Epistolam, vocatur* Graduale?

R. Ita vocatur ad instructionem nostram, ut sciamus diligenter observandam doctrinam Epistolæ, et in hac strenue nobis ambulandum, et gradiendum esse. Unde Rupertus, *loco supra citato, lib. 1. cap. 34, Graduale,* inquit, significat laborem operantium. Alteram rationem tradit Rhenanus in annotationibus ad librum Tertull. *de corona militis:* quod scilicet canatur Diacono gradus ascendente ad Evangelium decantandum: nimirum ne otiose transigeretur tempus illud, quod necessario interponendum erat inter Epistolam et Evangelium, dum se Diaconus ad illud decantandum præparabat; et hanc rationem probat Bellarm. *l.* 2. *de Missa, cap. 16*. Tertia potest addi ratio, quod Graduale cantetur vel ante gradus Presbyterii in Choro, vel in Odæo, sive Doxali, atque ita in loco edito, ad quem per gradus ascenditur.

Q. 2. *Cur* Graduali *subjungitur* Alleluia?

R. Id fit ad consolationem nostram. Cum enim observantia doctrinæ Apostolicæ difficultatem et laborem habeat (*Arcta* enim *via est, quæ ducit ad vitam. Matth. c. 7. v. 14.*); et ad id significandum cantus Gradualis plerumque sit difficilis, ne fatiscat homo sub onere, nec terreatur difficultate laborum, mox additur *Alleluia*, significans lætitiam, quam habebimus in futura vita, ut ad illam velut largam mercedem, et retributionem respicientes, levius hoc pondus feramus.

Q. 3. *Quid significat vox* Alleluia?

R. Laudate Dominum.

Q. 4. *Cur non transfertur, sed ignota velut lingua recitatur?*

R. Ad significandum, quod magnitudinem futuri gaudii non capiamus, nec possimus eloqui lætitiam civitatis Jerusalem cœlestis, per cujus vicos *Alleluia* cantatur. *Tob. 13. et Apocal. 19.* Præterea cum S. Joannes in Apocalypsi referat, Spiritu revelante, se vidisse et audivisse vocem cœlestis exercitus, tanquam vocem aquarum multarum, et tonitruum validorum dicentium, *Amen et Alle-*

luia, oportet, inquit Rabanus Maurus *lib. 1. de institut. Cleric. cap. 33,* sic utraque dici in terris, sicut in cœlo resonant.

Q. 5. *Cur in quibusdam officiis Missarum, omisso* Alleluia, *difficili* Graduali *additur luctuosus* Tractus?

R. Id fit tempore pœnitentiæ destinato, ad inculcandum, nos in hac vita, veluti in valle lacrymarum, et loco afflictionis totos in pio luctu esse debere. E diverso, cum totus Ecclesiæ ritus gaudia futura designat (ut a Dominica in Albis usque ad Pentecosten) omisso Graduali repetitur sæpe Alleluia, quia in futura vita nullus erit in complenda Dei voluntate labor. Porro infra octavam Paschæ *Graduale* dicitur propter recenter baptizatos, et militiæ laborem, quem arripiunt, ut habet Rupertus *lib. 8. cap. 1. de divinis officiis.*

Q. 6. *Cur in quibusdam Missis legitur, seu canitur* Prosa, *sive* Sequentia?

R. Id fit ad ineffabilem Paradisi lætitiam efficacius explicandam, desiderandam et postulandam. Dicitur autem *Prosa,* secundum Isidorum, quasi *profusa,* et a lege metri soluta cantio : *Sequentia* vero, quod singulæ

ipsius strophæ consequentiam habeant rhythmicam, et consequenter invicem in fine singulorum versuum sibi consonent, ac correspondeant. Omnes enim *Sequentiæ* sunt rhythmicæ.

[Juxta Ben. XIV, *sect. I. de sacrif. Missæ, n. 123*, dicto rhythmo inditum est nomen *Sequentiæ*, quia Graduale consequitur.]

§ 10.

ORATIO. *Munda cor meum.*

Q. *Cur dicitur hæc oratio, et quid ea petitur?*

R. Sacerdos considerans, Evangelium rem esse cœlestem plane et divinam, nec ejus dignitatem ferre, ut vel corde per temporalium desideria et cogitationes sordido, vel ore peccatis assueto recitetur; petit cor cœlestium meditatione purum et attentioni aptum, ac labia a peccatorum reatu soluta, quo ipse Evangelium intime capiens cum efficaci energia vivæ vocis illud pronunciet.

§ 11.

EVANGELIUM.

Q. 1. *Cur Sacerdos lecturus Evangelium, transit ad alteram partem Altaris?*

R. Quia Judæis Evangelium repellentibus, ad gentes Evangelica prædicatio translata fuit, juxta præceptum Domini : *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Marci 16. Et, Euntes docete omnes Gentes. Matth. 28.* Unde et Paulus et Barnabas in Actis Apostolorum cap. 13. dixerunt : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

Q. 2. *Cur a Sacerdote Diaconus Evangelium recitaturus, vel a Deo Sacerdos petit benedictionem?*

R. Ea petitur quasi visibilis missio ad prædicandum Evangelium.

Q. 3. *Cur ad decantationem Evangelii, cerei accenduntur et deferuntur?*

R. Ad significandum et testandum, Evangelium esse veram lucem in loco caliginoso

hujus mundi lucentem, quam ut fidam lucernam sequi debet, quisquis salvari vult. Infra tamen hebdomadam sanctam ad Passionem Domini non deferuntur accensi cerei, quia ille morte extinctus nuntiatur, qui secundum Joannem lux est mundi. Ad Evangelium quoque Sabbati Sancti non portantur luminaria; quia Domini Resurrectio mulieribus sepulchrum visitantibus nondum erat manifesta. Imo credebant eum adhuc in monumento jacere, atque ita erant in eis adhuc tenebræ. In Missis etiam Defunctorum ad Evangelium omittuntur luminaria, quia in iis omnes, saltem præcipuæ solemnitates, subtrahuntur.

Q. 4. *Cur in Missa solemni thus ad Evangelium succenditur?*

R. Tum ob majestatem divinam Evangelii verbis descriptam et gloriam ejus repræsentandam (Deus enim se in nebula ostendere solebat in Testamento veteri); tum ut significetur bonus odor Evangelii et eorum, qui illud prædicare debent, Bellarm. *l. 2. de Missa. cap. 15;* tum ad monendum populum ut per devotam orationem cor ad Deum ele-

vet, atque ita lectio Evangelii intelligatur, et bene observetur. Non succenditur tamen incensum ad Passionem Dominicam infra majorem hebdomadam, ad notandum, quod tunc fervor devotionis, qui per thus succensum designatur, in Apostolis tepuerat.

Q. 5. *Cur ad Evangelium omnes stant?*

R. Id fit ex præcepto Apostolico, ut dicit Clemens *l. 2. const. Apost. cap. 37;* alias *61*. Et Anastasius primus hoc confirmavit, ac observari mandavit etiam in his locis, ubi non servabatur. Bellarm. *loco supra citato cap. 16. sub fin.* Fit autem ea cæremonia partim ad reverentiam Christi per Evangelium nobis loquentis, partim in testimonium majoris attentionis, et ad significandam animi præparationem ac promptitudinem ad mandandum Evangelium executioni.

Q. 6. *Quomodo intelligenda sunt hæc verba* Sequentia sancti Evangelii?

R. Verbum (*Sequentia*) non est singularis numeri, ut nonnulli putarunt, sed pluralis, et non aliter intelligi debet, quam quod post præcedentia Evangelii verba, illa sequantur. Unde quando initium alicujus Evangelistæ

legitur, non dicitur *Sequentia*, sed *Initium S. Evangelii secundum N.* Alcuinus *de divinis officiis, c. de celebr. Missæ, et ejus significatione.*

Q. 7. *Cur dicenti Sacerdoti*, Sequentia sancti Evangelii, *respondet populus*, Gloria tibi Domine?

R. Quia is læta hac Evangelica doctrina nos illuminare et instruere dignatur. Sicut, in Actibus Apost. cap. 13, Gentes verbum salutis sibi a Deo destinatum esse audientes glorificabant Deum.

Q. 8. *Cur deinde signatur Evangelium signo Crucis?*

R. Quia vitam Christi pro nobis crucifixi continet, et ut significet Sacerdos, non humanum se aliquid, neque sapientiæ sæcularis, sed Crucis Christi annuntiaturum mysterium. Quidquid enim ex Evangelio recitatur, ad Crucis Christi et humanæ redemptionis mysterium pertinere dignoscitur.

Q. 9. *Cur eodem signo tam Sacerdos, quam populus cor, os, et frontem signat?*

R. Ut hac visibili oratione a Deo postulent gratiam, Christum crucifixum ejusque doc-

trinam fideli corde cogitandi, ore profitendi, ac frontis omnem erubescentiam de iis deponendi.

Q. 10. *Cur ad finem Evangelii, illud deosculatur Sacerdos?*

R. Ad profitendum, se hanc doctrinam et in ea tanquam in signo, Christum ipsum venerari, ejusque præcepta Evangelica ex amore servare velle. Quod ut et alii profiteantur, liber Evangelii in Missa solemni deosculandus circumfertur.

[Agitur hic de usu antiquo, aut particulari quarumdam Ecclesiarum; nam juxta Rubricas Ecclesiæ Romanæ, librum Evangelii in Missa solus osculatur Celebrans, aut Prælatus, si adsit in sua residentia. De usu antiquo circumferendi illum ad osculum totius cleri et populi, vid. Ben. XIV, *sect. I. n. 144.*]

Q. 11. *Cur in Missa pro defunctis illa cæremonia omittitur?*

R. Quia officium fit pro illis, qui jam judicati ut Dei amatores et servatores legis, hac professione non indigent.

Q. 12. *Cur passim, perlecto Evangelio iterum se signo Crucis populus munit?*

R. Ut quod ex divinis eloquiis ad salutem percepit, signatum sigillo Crucis atque munitum permaneat, ne a mentibus eorum diabolica fraude evacuari valeat. Sunt verba Alcuini *in dicto cap. de celebrat. Missæ*, et Remigii Antissiodorensis Episcopi, *de celebrat. Missæ*, ad verba *Sequentia sancti Evangelii.*

Q. 13. *Cur in Missa solemni post cantatum Evangelium, liber illius a Subdiacono ad Sacerdotem deosculandus defertur, atque ita Diaconus redit vacuus?*

R. Durandus : ut is post prædicationem contemplationi vacet.

§ 12.

SYMBOLUM SIVE CREDO.

Q. 1. *Estne hoc Symbolum Apostolorum, vel Nicænum, vel Constantinopolitanum?*

R. Nec est Apostolorum (quod initio Ecclesiæ canebatur in Missa), nec Nicænum, nec Constantinopolitanum purum, sed cum additione harum syllabarum (*Filioque*) ut constat ex Annalibus Baronii sub annum Christi 809, atque ita vocari potest Symbolum Ecclesias-

ticum, vel Constantinopolitanum additiuncula (*Filioque*) explicatum contra errorem Græcorum non agnoscentium processionem Spiritus Sancti a Filio, sicut et a Patre, tanquam uno spirationis principio.

Q. 2. *An recte post Evangelium recitetur Symbolum?*

R. Quod sic, ex decreto Marci Papæ, quia *Fides ex auditu est.* Et sicut per Evangelium *corde creditur ad justitiam*, ita per Symbolum *ore confessio fit ad salutem.* Strabo *de rebus Ecclesiasticis, cap. 22.* Berno Abbas *de quibusdam rebus ad Missæ officium pertinentibus, c. 1.*

Q. 3. *Cur in quibusdam festis illud recitatur, et in aliis non?*

R. Id fit justis de causis. Nam:

Imprimis æquum est, ut recitetur omnibus Dominicis diebus, et festis Salvatoris, ut Epiphaniæ, Inventionis, et Exaltationis Sanctæ Crucis, Ascensionis Dominicæ, Corporis Christi, Transfigurationis, et Nativitatis ejus, ac similibus: quia ipse est auctor Fidei ac consummator: nec non in Pentecoste, quia in ipso Symbolo est specialis articulus de Spiritu

Sancto, et sine ipsius gratia nemo venit ad Fidem, nec in ea perseverat.

Insuper æquum est, ut illud recitetur in solemnitatibus B. Virginis, Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, Doctorum Ecclesiæ, Mariæ Magdalenæ, Patronorum, Dedicationis Ecclesiæ, et omnium Sanctorum, ac infra octavam dictorum festorum octavam habentium : quia B. Maria Virgo peperit nobis auctorem Fidei, et in ea nunquam vacillavit; Angeli sunt Pædagogi, et directores nostri, non tantum quoad mores, verum etiam quoad Fidem : Apostoli Symbolum Fidei composuerunt; Evangelistæ mysteria Fidei, et doctrinam Evangelicam conscripserunt : Doctores Ecclesiæ Fidem illustrarunt; De B. Magdalena in Evangelio legimus, ***Fides tua te salvam fecit,*** et in Resurrectione fuit ea Apostolorum Apostola; Patronis vocationem ad fidem acceptam ferimus, et per Dedicationes Ecclesiarum illam profitemur.

Accedit quod tam in his, quam in illis solemnitatibus magnus soleat esse concursus populi. In festo omnium sanctorum veneramur Deiparam Virginem, Apostolos et alios,

quibus congruit recitatio Symboli. Porro omnes dies infra octavam pro una festivitate computantur. Unde per totam octavam Pentecostes in Præfatione dicitur, *promissum Spiritum Sanctum hodierna die in Filios adoptionis effudit*. In aliis festis cessant ejusmodi rationes.

Q. 4. *Cur in festo Martyrum, qui pro Fide sanguinem suum fuderunt, non recitatur Symbolum?*

R. Non habetur ratio mortis quoad recitationem Symboli, sed illud recitatur respectu eorum, quæ Sancti in vita sua egerunt, vel quæ circa eos gesta sunt, ut patet *ex supra dictis*. Alioqui non modo in Martyrum, sed omnium omnino Sanctorum natalitiis deberet Symbolum recitari : quia sicut Martyres sanguinis effusione, ita Confessores et Virgines, Sanctique omnes desiderio martyrii, pia Sacramentorum Ecclesiæ susceptione et aliter fidem testati, et professi sunt.

Accedit quod vitam martyrio finientes et Sancti omnes æternam beatitudinem adipiscentes, fidem habere desinunt, ea per claram visionem Dei evacuata.

Q. 5. *Quis sensus hujus Symboli?*

R. Is, qui subjicitur.

Credo, per habitum Fidei mihi infusum a Deo, et per illius actuale auxilium certo et firmiter assentior, propter authoritatem primæ veritatis revelantis : et quod corde credo, ore profiteor.

Credo, inquam, *in unum Deum*, non plures Deos, sed unum in essentia, trinum in personis. *Credo* Deo, eique fidem adhibeo tanquam primæ veritati : *Credo* Deum, firmiter assentior, quod Deus sit : *Credo* in Deum, ita assentiens illum esse ultimum finem meum : quomodo credo in Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum : alios autem articulos Fidei credo, sed non in illos.

Deum, id est, substantiam spiritualem, intellectualem independentem necessario existentem, perfectissimam, infinitam, primam et supremam causam omnium rerum.

Patrem, id est substantiam viventem, producentem substantiam viventem ejusdem secum naturæ vi productionis, Filium scilicet. Et hoc modo nomen Patris est notionale, et personale conveniens primæ soli Personæ.

Alias nomen Patris est essentiale, convenitque tribus Personis divinis respectu creaturarum, quas producit, conservat, et adoptat, ut videre est infra in oratione Dominica.

Omnipotentem. Omnipotens nomen ejus. Exod. 15. Omnipotens est ille, qui potest facere omnia possibilia. Omnipotentia est omnium entium possibilium effectiva potentia, qualem Deum habere profiteor eumque solum. Quæ quamvis, sit communis tribus Personis divinis, tamen specialiter tribuitur Patri, sicut sapientia Filio, et bonitas Spiritui Sancto. Porro hujusce omnipotentiæ affectus singularis est universi creatio : ideo credo Patrem esse.

Factorem cœli et terræ. Creatorem, productoremque ex nihilo cœli empyrei et aerei : sed et aliorum cœlorum, totiusque universi factorem et authorem.

Visibilium omnium, et invisibilium. Visibilium nomine intelliguntur creaturæ corporeæ; invisibilium nomine, creaturæ incorporeæ, et spirituales, animæ rationales, et Angeli. Horum omnium conditorem credo esse Deum Patrem, *a quo condita sunt uni-*

versa in cœlis, et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Potestates. Coloss. 1.

Credo, *et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Nobis unus est Deus* (inquit Apostolus I Cor. 8.), *Pater ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Credo itaque quod Christus sit *Dominus Dominorum, et Rex Regum. Apoc. 17.* Quod sit supremus Dominus noster ratione divinitatis, et jure creationis: ratione etiam humanitatis unitæ hypostatice divinitati et jure redemptionis. *Ipse enim salvum fecit populum suum a peccatis eorum.*

Jesum, Salvatorem. *Christum*, Unctum, et delibutum oleo spirituali præ participibus suis: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Coloss. 2.*

Filium Dei. Credo Christum esse verum, genuinum, naturalem, æternumque Dei Patris Filium, id est, viventem, productum a vivente in identitatem naturæ per propriam generationem.

Unigenitum, quia solus Christus est unicus Filius Dei naturalis : alii sunt tales duntaxat creatione, nuncupatione, adoptione. Et quamvis in Christo sint duæ naturæ, est tamen unica persona, eaque divina, et personarum divinarum secunda.

Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Ab æterno, ante mundi creationem, ante tempora. Sæculum est tempus quodcunque, vel centum annorum spatium.

Deum de Deo, Patre. *Lumen,* spirituale, et æternum, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, *de lumine,* de Patre lumine æterno per naturam, et non per participationem.

Deum verum, non falsum, non appellative, non participative, non per gratiam, sed per naturam *de Deo vero*, Patre.

Genitum per Patris intellectionem, et generationem æternam.

Non factum, non creatum : *Consubstantialem Patri,* cum Patre ejusdem numericæ, et individuæ substantiæ, essentiæ, et naturæ.

Per quem, Filium, *omnia facta sunt,* quæ sunt facta, et creata. Nam per Filium,

tanquam causam efficientem, omnia facta sunt : per ipsum etiam tanquam Verbum, et Sapientiam Patris : *Verbo* enim *Domini cœli firmati sunt. Ps. 32.Quoniam in ipso* Filio *condita sunt universa, in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, et Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates : omnia per ipsum, et in ipso creata sunt. Coloss. 1*. Per ipsum, inquam, tanquam causam efficientem, secundum originem mediantem inter Patrem, et creaturas. Et in ipso tanquam in immenso, et ubique per essentiam, præsentiam et potentiam existente, omnia facta sunt : quia intra immensum ambitum essentiæ illius.

Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat, Lucæ 19; et Misit Deus Filium suum, ut salvetur mundus per ipsum. Joan. 3.

Descendit de cœlis, non deserendo cœlos, nec veniendo ubi ante non erat; sed manens in cœlis, et in terris existens per essentiam, præsentiam, et potentiam, cœpit in iisdem

terris esse novo modo incarnationis, quo modo antea non erat.

Et incarnatus est. In conceptione sua, carnem, id est, naturam humanam, anima et corpore constantem sibi univit hypostatice; ita ut natura divina, et humana efficerent unicam personam, eamque divinam, utpote subsistentem personalitate Verbi.

De Spiritu Sancto. Non virili semine, sed Spiritus Sancti in B. Mariam Virginem supervenientis virtute et vim concipiendi tribuente, incarnatus est. Quando scilicet in castissimo Virginis utero, et ex substantia ipsius, Spiritus Sancti virtute, formata est non informis massa et embryo, sed Christi Corpus perfectissime organizatum, eodemque momento anima rationali informatum, et a Verbo in unitatem personæ assumptum. Quamvis autem Incarnationis opus ad extra sit toti Trinitati commune; tamen quia est opus summæ bonitatis, quæ solet attribui Spiritui Sancto, ideo eidem attribuitur Incarnatio. Cæterum, Spiritus Sanctus non est Pater Christi, nec secundum divinitatem, quia secundum illam a solo Patre genitus est,

nec secundum humanitatem, quia secundum illam non est productus a Spiritu Sancto in similitudinem naturæ, cum natura divina et humana, sint plane dissimiles.

Natus ex Maria Virgine. Completo naturali termino gestationis in utero, ex eodem, illæsa Matris virginitate, in lucem editus est : non quasi per canalem transiens, sed ex substantia Matris formatus; ita ut Beatissima Maria vere sit Christipara, et Deipara : nam Verbum, quod per conceptionem in ea natum erat, per partum ex ea natum est.

Et homo factus est. Filius Dei per conceptionem, incarnationem et nativitatem, homo, filiusque hominis factus est.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Idem Christus pro nobis hominibus, et pro nostra salute sub Pontio Pilato Judææ Procuratore, Cruci ignominiosissime affixus, in eadem passus est dolores acerbissimos, et mortem ipsam, separationemque animæ a corpore.

Et sepultus est. Corpus ipsius exanime, et ab anima humana, sed non a divinitate disjunctum, traditum est sepulturæ.

Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. A morte sua, die tertia, propria virtute revixit, animam corpori humano reunivit et e sepulcro surrexit, *secundum Scripturas. Jonæ 2. Oseæ 6. Psal. 2, et 15. Lucæ 24. Actor. Apost. 13*, et alibi. Unde Apostolus *1. Cor. 15.* ait : *Tradidi vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas : et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas.*

Et ascendit in cœlum. Empyreum, et supremum : ascendit, inquam, secundum humanitatem, per absolutam, et infinitam virtutem divinitatis suæ : quin et per participatam virtutem animæ suæ beatæ, et per dotem agilitatis Corporis sui glorificati.

Sedet ad dexteram Dei Patris. Secundum divinitatem habet æqualem potestatem, et majestatem cum Deo Patre, pacifice, et quiete in ea dominans. Et quidem Filius Dei ab æterno, et Christus ab initio Incarnationis suæ fuit semper Patri par, et æqualis; sed post Ascensionem suam triumphans ingressus in cœlum, tanquam in Regiam suam,

accepit gloriosum Corporis sui statum, et declaratus fuit in divinitate, gloria, et majestate Patri æqualis. Quia tamen ex Symboli contextu, hic Articulus intelligendus est de Filio Dei secundum humanam naturam et unitam ei fragilitatis nostræ substantiam, quam in gloriæ paternæ dextera collocavit; ideo *sedet ad dexteram Dei Patris,* quia supra omnem creaturam elevatus, in cœlo post Deum obtinet primum et honoratissimum locum, et regiam judiciariamque tranquillam potestatem.

Et iterum venturus est. Idem, qui per Incarnationem semel venit in terras ad salvandos homines, iterum in fine sæculorum venturus est

Cum gloria et majestate multa *judicare vivos,* homines in die judicii viventes, *et mortuos,* ante diem judicii defunctos : item spiritualiter vivos, et mortuos, justos, et peccatores.

Cujus Regni non erit finis. Regni quo Christus spiritualiter in cordibus fidelium regnat per gratiam perseverantem, non erit finis, quia continuabitur in futura, æternaque

vita : multo minus erit finis regni ipsius beatifici, quod æternum erit.

Et in Spiritum Sanctum. Credo etiam in Spiritum Sanctum, tertiam SS. Trinitatis personam : quæ dicitur Spiritus a spiratione, quasi spiratus; estque nomen personale.

Dominum, supremum ac Deum.

Et vivificantem, dantem vitam spiritualem.

Qui ex Patre, Filioque procedit, tanquam ab uno spirationis principio.

Qui cum Patre, et Filio simul adoratur cultu latriæ, *et conglorificatur,* tanquam unus et idem Deus cum Patre, et Filio glorificatur.

Qui locutus est per Prophetas. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Lucæ 1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis. Heb. 1. et Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. 2. Petr. 1.

Et credo esse *unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam,* id est, cœtum hominum ejusdem fidei Christianæ profes-

sione et eorumdem Sacramentorum communione colligatum sub regimine Romani Pontificis Vicarii Christi.

Unam, id est, unicam, et non plures, habentem unitatem Fidei, doctrinæ ac Sacramentorum, et connexionem partium inter se, et Caput unum Christum, Vicariumque ipsius Summum Pontificem. Una est enim Christi sponsa, una columba, una amica, unum corpus, unum ovile, et unus pastor.

Sanctam, quia caput ipsius est Sanctus Sanctorum, regiturque a Spiritu Sancto : Fides ipsius, et doctrina est sancta, Sacramenta, instituta et exercitia ipsius sunt sancta : omnes qui sunt in ea, vocati sunt sancti, id est, eorum vocatio est ad sanctitatem. In illa sola est vera sanctitas, et extra eam non est sanctitas. In ea semper sunt aliqui sancti. Nec considerandum, quod plures sint peccatores : *Melior enim est unus timens Deum, quam mille filii impii. Eccl. 16*.

Catholicam, id est, universalem, per totum orbem dispersam ; omni tempore durantem ; a sui institutione, usque ad mundi consummationem, omnis nationis homines complectentem.

Et Apostolicam, Apostolorum prædicatione fundatam, tenentemque illorum fidem, et doctrinam; Apostolorumque Principi, ejusque legitimo successori Romano Pontifici adhærentem, tanquam suo capiti: In qua sola reperitur Episcoporum ab Apostolis usque ad nos deducta successio.

Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Juxta Apost. *Ephes. 4. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Itaque sicut est unus supremus Dominus, una tantum vera Fides; sic etiam unum est tantum verum Baptisma, habens determinatam materiam, formam, et effectum, scilicet remissionem omnium peccatorum, tam originalis, quam universorum actualium ante susceptionem Baptismi commissorum.

Et expecto resurrectionem mortuorum: quam non nego cum Ethnicis, et Sadducæis, nec dico illam esse jam factam cum Hymenæo et Phileto, 2. Timoth. 2, sed expecto, credoque in die Judicii futuram generalem omnium, eorumdemque corporum humanorum resurrectionem, et reanimationem.

Et vitam venturi sæculi. Amen. Credo

post hujus sæculi vitam superesse aliam vitam, et animæ corporisque perpetuam, indissolubilem et beatam conjunctionem : Dei quoque visionem, fruitionemque beatificam interminabilem, et æternam. *Amen.*

Q. 6. *Cur genuflectitur a verbo* Incarnatus, *usque ad* homo factus est, *inclusive?*

R. In gratiarum actionem, quod in tantum pro nobis se humiliavit et exinanivit Filius Dei.

Q. 7. *Cur Diaconus in Missa solemni, cum in Symbolo cantatum fuit,* Et incarnatus est, etc. *bursam ad medium altaris deferens, in eo Corporale explicat?*

R. Quia Christus non nisi post Incarnationem Redemptioni per Passionem operam dedit. Joannes Baptista Rubius *de divinis Offic. lib. 2. c. 45.*

Q. 8. *Cur in fine Symboli iterum se signat Sacerdos signo Crucis?*

R. Ut quasi sigillo Crucis Fidei totius professio firmetur. *Alias rationes* vide superius ante *Dominus vobiscum.*

CAPUT III.

OFFERTORIUM ET QUÆ ILLUD CONSEQUUNTUR USQUE AD CANONEM MISSÆ.

§ 1.

DE OFFERTORIO.

Q. 1. *Cur fit Offertorium?*

R. Offertorium fit a Sacerdote celebrante, ut panis et vini materiam consecrandam Deo dedicet prævia quadam oblatione. Aliud Offertorium fit a populo, ut per illud fideles significent se cooperari velle Sacrificio Sacerdotis, et illud sibi commune facere.

Q. 2. *Unde nomen habet, et unde sumitur?*

R. Inde nomen accepit, quod caneretur dum populus offerebat. Walfridus Strabo *de Rebus Ecclesiast. cap. 22. et* Micrologus *de Eccles. observ. cap. 10.*

Q. 3. *Cur interim, dum populus offert, canticum illud canitur?*

R. Ut significetur læto animo esse offerendum id quod offertur, quandoquidem *hilarem datorem diligit Deus :* Nec frustra gaudet offerens; quandoquidem fœneratur, quisquis Deo dat.

Q. 4. *Cur in Missa Sabbati Sancti non dicitur Offertorium?*

R. Quia mulieres sub silentio ibant cum aromatibus ad sepulchrum. *Alcuinus*.

§. 2.

DE OBLATIONE PANIS ET CALICIS, ET CÆTERIS USQUE AD LOTIONEM MANUUM.

Q. 1. *Qualis est hæc oblatio?*

R. Est tantum præparatoria, atque ideo, quando dicit Sacerdos : *Suscipe, Sancte Pater, hanc immaculatam Hostiam,* et postea, *offerimus tibi Domine Calicem Salutaris, etc.* ita ea intelligi debent, sicut supra dictum est de offertorio Sacerdotis, de oblatione scilicet, qua materia panis et vini pro futura consecratione Deo dedicatur.

Q. 2. *Quid in oratione*, Suscipe Sancte Pater, etc. *intelligitur per peccata, offensiones, et negligentias?*

R. Per peccata intelliguntur transgressiones suum auctorem lædentes tantummodo : per offensiones, scandala seu offendicula in proximum : et per negligentias, omissiones bonorum, quæ ex præcepto fieri oportuit.

Q. 3. *Cur, facta oblatione, Sacerdos Hostiam, et postea Calicem collocat in Corporali cum signo Crucis?*

R. Sicut oblatio Christi in Cruce facta fuit, sic et oblatio Sacerdotis, quæ in illius memoriam fit, cum signo Crucis fieri debet.

Q. 4. *Quid petimus in oratione,* Deus qui humanæ substantiæ, etc.

R. Petimus rem, et veritatem, hac typica commixtione significatam; nempe unionem spiritualem, et communionem indivisibilem cum Christo, qua nos fiamus divinitatis ejus per vinum significatæ, divinæque naturæ consortes, et divinorum participes, sicut ipse humanitatis nostræ per aquam significatæ particeps fieri dignatus est, idque tam inseparabiliter, quam post hanc commixtionem est inseparabilis aqua a vino?

Q. 5. *Cur una tantum aquæ guttula, vel paululum admodum vino imponitur?*

R. Quia populus per modicissimam aquam vino admixtam secundum Sacros Canones significatus (Nam *inter alios* Can. Cum omne crimen. 7. *de Consecrat. Distinct. 2.* Julius Papa Episcopis per Ægyptum missis clare sic scribit : *Videmus in aqua populum intelligi, in Vino vero ostendi Sanguinem Christi*) populus, inquam, velut nihil est respectu Christi Eucharistici, dicente Isaia, cap. 40. vers. 15. *Ecce gentes quasi stilla situlæ reputatæ sunt.* et Sap. 11. 23. *Tanquam gutta roris antelucani.*

Q. 6. *Estne alia ratio, cur aliquid aquæ misceatur vino, quam ad significandam unionem Corporis Christi mystici cum suo capite?*

R. Quod sic : scilicet, quia ex latere Christi manavit aqua cum Sanguine. *Concil. Trid. Sess. 22. cap. 7. de Sacrificio Missæ.*

[Concilium Trid. *l. c.* « monet præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miceant ; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione re-

colitur, et cum aquæ, in Apocalypsi Beati Joannis, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. » Cf. Ben. XIV, *sect. 1. n. 171, sqq. sect. 2. n. 81 ;* S. Th. *p. 3. q. 74. a. 8.* et Brev. Rom. *ad 3 Maii. lect. de s. Alexandro.*]

Q. 7. *An valeret consecratio vini sine aqua?*

R. Quod sic ; sed ita consecrans graviter peccaret ; et teste Cypriano in *Epistola 63. ad Cæcilium*, populus qui per aquam significatur, a Christo separatus esse videretur ; seu, ut dicit Alcuinus *de Divinis offic. cap. de celebratione Missæ,* videretur significari, quod Passio Christi nihil profuerit generi humano. Utrumque ergo miscetur simul, ut et prætacta unio repræsentetur, et sine Passione Christi mundum salvari non potuisse intelligamus. Remig. Antissiod. *de celebrat. Missæ.*

Q. 8. *Cur aqua miscenda vino cum signo Crucis benedicitur?*

R. Quia populus per aquam, *ut dictum est,* significatus, benedictione eget, ut Christo uniatur. In Missis vero Defunctorum aqua

non benedicitur, quia significat populum Purgatorii, qui jam est in gratia confirmatus.

Q. 9. *Cur in oratione,* Offerimus tibi Domine, Calicem Salutaris, *Calix ille vini dicitur Salutaris, id est, Christi?*

R. Quia Christus Salvator eum Calicem offerendum et consecrandum instituit, ita ut post illius consecrationem sit Sanguine Christi Salvatoris, imo ipso Christo plenus.

Q. 10. *Cur Sacerdos, qui in oblatione panis locutus est in numero singulari, loquitur in plurali in oblatione Calicis, dicens* : Offerimus, etc.

R. Quia Sacerdos solus offert panem, ideo loquitur in singulari : quia vero olim, et etiam modo in Missis solemnibus Diaconus manu dextera tangens pedem Calicis, et sinistra cubitum dexterum Sacerdotis celebrantis offert simul cum eo Calicem : ideo dicit in plurali *Offerimus;* quia scilicet habet coofferentem Diaconum.

Q. 11. *Cur Calix cooperitur?*

R. Id fit ex cautela, ne quid cadat in Calicem. Durandus tamen putat etiam fieri ob mysterium : quod scilicet in Calice repræsen-

tetur Christus, ut in sepulchro opertus sindone, sudario, lapide clauso, et signato.

§ 3.

ORATIO : *In spiritu humilitatis*, etc.

Q. 1. *Quid intelligendum per spiritum humilitatis*, etc.

R. Cum Sancto Basilio, Cor ex dono Sancti Spiritus humile.

Q. 2. *Cur in eadem oratione orat Sacerdos, ut oblatio placeat, postquam illam obtulit? dixit enim :* Suscipe, Sancte Pater, hanc immaculatam Hostiam, et Offerimus tibi Domine, Calicem Salutaris : *Nonne id est signum eum dubitare, an Sacrificium placeat?*

R. Non dubitat Sacerdos, quin placeat Deo Sacrificium Missæ ex se, sive ex Christi instituto; et ideo certissima Fide offert Sacrificium Deo gratissimum : sed dubitat de propria dispositione, et idcirco petit sibi spiritum humilitatis et animum contritum, ut Sacrificium inchoatum ita peragat, ut etiam ex parte sua Deo placeat. Vide plenius apud Bellarm. *lib. 2. de Missa, c. 17*.

Q. 3. *Cur Sacerdos dicens :* in spiritu humilitatis, etc., *se inclinat?*

R. Ut hac inclinatione sui humilitatem, atque indignitatem profiteatur, et cum contritione spiritus de omnibus suis defectibus et delictis, se totum Deo Sacrificium offerat, atque ita Sacrificium externum, quod in Missa offertur, Deo placeat.

§ 4.

Oratio : *Veni Sanctificator,* etc.

Q. 1. *Quando absoluta præcedente oratiuncula, deinde se erigens sacerdos, formato signo Crucis super propositam sacræ Eucharistiæ materiam dicit :* Veni Sanctificator omnipotens, æterne Deus, et benedic hoc Sacrificium, etc. *quam benedictionem petit?*

R. Orat pro conversione substantiarum panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, quam agnoscit suas vires excedere. Nec istud orat tanquam dubitans, quin futurum sit, sed ut per orationem Deo fusam agnoscat, se rem tantam expectare.

Q. 2. *Cur in prætacta oratione Sacrifi-*

cium dicitur præparatum, *cum jam ante sit oblatum?*

R. Illa prior oblatio *præparatio* fuit ad posteriorem oblationem, in qua proprie Sacrificium consistit; proinde recte dicitur *præparatum Sacrificium*, quando materia sacranda Deo per quamdam oblationem est dedicata.

Q. 3. *Ad quid thurificatio ad oblata in Missa solemni?*

R. Ad monendum circumstantes, ut Sacrificium, quod offerunt, cum igne veræ devotionis offerant, devotaque oratione comitentur : nam thus incensum significat mentis in Deum elevationem, et orationem procedentem ex corde inflammato igne divini amoris, juxta illud Psalmi 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, etc. Apoc. 5. ubi vidit D. Joannes *viginti quatuor seniores habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.*

§ 4.

DE LOTIONE MANUUM.

Q. 1. *Quid significat hæc lotio manuum?*

R. Quod sacram Eucharistiam sumpturus, merito debet lachrymis compunctionis et pœnitentiæ animam suam abluere, juxta illud Isa. 1. *Lavamini, mundi estote,* et Psal. 50. *Amplius lava me;* debetque affectu alienus esse ab omni pulvere peccatorum venialium, quæ bene comparantur sordibus manuum, quæ ut nudæ, et cuivis operi adhibitæ, facile coinquinantur. Igitur ablutio manuum protestatio est, quod Sacerdos, quo mundiorem Deo in corde suo habitationem præparet, omnium etiam venialium peccatorum totalem proponat evitationem, idipsum etiam populo, præsertim communicaturo, faciendum suo facto designans. Et merito; nam licet admodum sollicite quæcunque etiam parva peccata vitare proponamus, satis adhuc multa incautis excident. Qui vero illa ut parvi ponderis negligit, facile in majora delabitur. Nec protestatio tantum est, ac instructio, sed etiam ora-

tio, ut hanc nobis puritatem Deus conferre dignetur.

Q. 2. *Quis sensus est septem versuum Psal. 25. qui inter lavandum legendi sunt?*

R. Is qui subjungitur, et verbis et mysteriis congruere videtur.

§ 5.

PSALMUS : *Lavabo*, etc.

Lavabo inter innocentes manus meas: id est : o Domine, non accedam illotis manibus ad mundissima, et sanctissima tua mysteria, sed studebo innocentibus esse similis, per opera pura ab omni sorde, etiam venialis peccati ; et si quid contraxero, statim per pœnitentiam et emendationem lavare et emundare festinabo.

Et circumdabo Altare tuum, Domine. Innocentium imitatione, et in ipsorum consortio frequentes tibi offeram Hostias.

Ut audiam vocem laudis. Ut audiam corde, et mente mea spirituales laudes Angelorum in Altari tuo te laudantium. Vel hic laus metonymice accipitur pro beneficiis Dei, quorum ratione laudandus est; et est sensus, ut

per hanc sacram Hostiam, et cibum in me veniant Dei beneficia; sic ut interior homo meus audiat laudem Dei, id est, percipiat ea, quorum ratione debeat laudare Deum.

Et Angelicis laudibus meas conjungens, *enarrem universa mirabilia tua,* id est, opera, quæ pro mea, tuorumque omnium salute benigne operari dignatus es, maxime instituendo hanc Altaris mensam, et Sacramentum, Sacrificiumque Eucharistiæ, in qua fecisti memoriam mirabilium tuorum.

Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ. Id est, domus tuæ materialis zelum habens, dilexi et procuravi illius munditiem, nitorem et religionem, multoque magis domus tuæ spiritualis, et animæ meæ; ideoque conor habere cor ab omni affectu peccati mundum, ut digna tibi in me habitatio præparetur, quæ gloriæ, et honori tuo ex aliqua saltem parte respondeat.

Ne perdas cum impiis animam meam, ob occulta, quæ me latere possunt, peccata mortalia. Vel, ne sinas me impiis similem fieri per lapsum in peccatum.

Et cum viris sanguinum vitam meam. Hi viri sanguinum sunt homines scandalosi, qui mala vita lædunt, aut etiam occidunt animas infirmorum, ut sunt mali Sacerdotes, quibus petit Celebrans, Dei auxilio, dissimilis permanere.

In quorum manibus iniquitates sunt. Id est, quorum opera prava sunt.

Dextera eorum repleta est muneribus. Id est, primus scopus vitæ eorum est, habere munera, et bona hujus vitæ : etiam cum præjudicio honoris Dei, justitiæ, et æquitatis.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum : id est, ego autem aliud genus vitæ instituí per sanctum propositum.

Redime me, ab occultis peccatis meis præteritis, et futurorum periculis, quibus à cœpto hoc tramite vitæ innocentis declinarem alioquin.

Et miserere mei, scilicet dando gratiam perseverantiæ.

Pes meus stetit in directo: id est, in rectitudine, seu recta via justitiæ : nimirum omnis affectus meus est perseverare in vita bona, quæ directa ad beatitudinem via est.

In Ecclesiis benedicam te, Domine. In sacris cœtibus, et numerosis congregationibus fidelis populi tui laudabo te, Domine; et per bonam vitam toti populo tuo ero occasio benedicendi, et glorificandi te. Dum enim omnium oculi in Sacerdotem collimant, Sacerdos, velit nolit, in Ecclesiis facit, quidquid facit.

§ 6.

ORATIO : *Suscipe Sancta Trinitas*, etc.

Q. 1. *Cur Sacerdos hanc orationem dicens, profunde se inclinat?*

R. De virium suarum imbecillitate, ac conversionis suæ integritate diffisus, ad humilitatis suffragia confugit, ut quo non pertingit infirma oblatio Sacrificantis, eo penetret verecunda oratio se humiliantis. Durandus, *de Ritibus Ecclesiæ lib. 2, cap. 29. num. 2.*

Q. 2. *Quomodo intelligendum, quod hic dicitur,* ob memoriam Passionis, Resurrectionis et Ascensionis Jesu Christi, etc.

R. Non de nuda, et jejuna memoria, sed tali, quæ gratitudinem de hic nominatis Chri-

sti beneficiis, et studium imitationis pro modulo nostro includat; ut ita reipsa in nobis experiri valeamus id, quod de iis dicit Rupertus *de divinis offic. lib. 2. cap. 12.* scilicet : ***Primum Ecclesiæ vulnerat charitatem, alterum confortat fidem, tertium lætificat spem.***

Q. 3. ***Quis est sensus ejus, quod additur,*** quam tibi offerimus in honorem B. Mariæ semper Virginis, et S. Joannis Baptistæ, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli?

R. Is, quem dat S. Concil. Trident. *sess. 22. de Sacrificio Missæ, cap. 3,* scilicet quam offerimus ad agendas tibi gratias de victoriis eorum per te partis, et ut illos adornes ad intercedendum pro nobis apud te, ut quondam Job et Moysen ad intercessionem pro aliis subornabas, quorum uterque magnus Sanctorum honor est.

Q. 4. ***Quomodo intelligitur quod hic dicitur,*** et istorum?

R. Intelligitur de Sanctis quorum Reliquiæ in Altari sunt : videntur enim illi quasi digito demonstrari.

§ 7.

ORATE FRATRES ET ORATIONES SECRETÆ.

Q. 1. *Cur* Orate fratres *dicitur versus populum, cum* Oremus *dicatur ad Altare?*

R. Quia Sacerdos dicens *Oremus,* simul et populum alloquitur, et caput versus Crucem inclinare debet : dum vero dicit *Orate fratres,* populum tantum alloquitur : convenit autem, ut quos alloquimur, iis faciem exhibeamus : et hoc ipsum magis ad orandum excitat.

Q. 2. *Cur ante secretas Orationes non dicitur* Dominus vobiscum, *nec* Oremus?

R. Quia ejus vice proxime ante dicitur *Orate fratres,* et quia illæ secreto sunt dicendæ, prout nomen earum indicat. Adde : si alta voce diceretur *Oremus,* inconcinna foret interruptio : si submissa voce, invitarentur non audientes; convenientius itaque omittitur. Gavantus *loco supra citato, part. 1. tit. 12.*

§ 8.

PRÆFATIO MISSÆ.

Q. 1. *Cur ita dicta?*

R. Quia præambula Missæ parte perfecta, præcipuæ partis jam sequentis, quæ in consecratione et oblatione consistit, est quædam prælocutio et ad eam introductio, per excitationem cordium in considerationem et laudem divinæ Majestatis.

Q. 2. *Cur incipitur alta voce a conclusione orationum secreto dictarum?*

R. Ut toti populo detur occasio per vocem *Amen,* eas approbandi, et pro earum exauditione deprecandi. Micrologus *de Eccles. observat. cap.* 7.

Q. 3. *Cur hic iterum dicitur* Dominus vobiscum, *respondeturque,* et cum spiritu tuo?

R. Quia nec sursum corda erigere, nec dignas Deo gratias agere, nec ut nostræ voces laudibus Virtutum cœlestium conjungantur, obtinere valebimus, nisi Deus vita animæ nostræ fuerit cum ea.

Q. 4. *Cur hic Sacerdos dicens* Dominus vobiscum *non vertit se ad populum?*

R. Quia totus intentus est ad Sacrificium.

Q. 5. *Ad quid exhortatiuncula*, Sursum corda?

R. Nostri nos admonet officii, ut agnoscamus, quod cœlestium horum mysteriorum dignitas et reverentia requirat, ut homo seclusa quacunque rerum temporalium imaginatione et desiderio, cor, id est, tam intellectum per contemplationem quam affectum per pia desideria sursum habeat, id est, in res supernas et spirituales figat, caveatque damnabiliter mentiri Spiritui Sancto, dum dicit: *Habemus ad Dominum,* si videlicet cor ejus rebus terrenis implicetur.

Q. 6. *Quare subjungitur,* Gratias agamus Domino Deo nostro?

R. Tum ut grati agnoscamus, hanc cordis elevationem, magnum Dei donum esse; tum quod omnis oratio a laudibus Dei et gratiarum actione inchoanda est. *S. Basil. de Constit. Monast. cap. 2.* tum ut per Sacrificium, quod jam præ manibus habemus, studeamus Deo gratitudinem exhibere pro ejus in nos collatis beneficiis.

Q. 7. *Quis est sensus cæterorum ordinariæ præfationis verborum?*

R. Is ipse, qui sequitur ex variis Missæ Expositoribus collectus.

Dignum et justum est, ut gratias agamus Domino Deo nostro, et ostendamus nos erga Deum gratos, per benevolam protestationem et recognitionem beneficiorum ab eo acceptorum. *Dignum,* inquam, quia tantus benefactor id meretur. *Et justum est,* quia hoc jure ei debetur.

Vere dignum, et justum est. Caveat quicunque hoc dixerit, ne ingratus inventus, ex proprio ore judicetur.

Æquum, rectæ orationi consonum, vel quod est justum, hoc est et æquum. Repetitio sermonis confirmatio est veritatis. Florus in exposit. Missæ ad verba, *vere dignum et justum est.*

Salutare, id est, salute plenum; quoniam ad nostram animæ, et corporis salutem pertinet, si digne illum laudemus. *Alcuinus.*

Nos tibi semper, et ubique gratias agere. Quia scilicet omni loco, et tempore Dei experimur beneficia. *In ipso* enim *vivimus, mo-*

mur, et sumus. Porro gratiarum actio, efficax est petitio.

Domine Sancte, et proinde sanctificans nos, famulos tuos non corrumpens, et vitians ut suos diabolus.

Pater Omnipotens. Per omnipotentiam tuam Creator noster omniumque rerum ; nostri etiam curam ex dilectione gerens, ut solet Pater Filiorum.

Æterne Deus, qui initio cares, et nullo fine concluderis. *Florus.* Et nostrum perfectissimum es bonum, plena beatitudo nostra futurus.

Per Christum. Etenim per eum ut Mediatorem, et Pontificem nostrum, non tantum orare debemus, sed et gratias agere. Sicut enim ex nobis nihil habemus, sic neque per nos de aliquo gratias agere possumus Deo. Carolus Capellius, *de exposit. Missæ Romanæ, c. 10.*

Dominum nostrum. Vere ille Dominus noster est, quia non corruptibilibus, auro et argento, sed pretioso Sanguine suo, de servitute diaboli, et vana nostra conversatione nos redemit. De quo etiam Paulus ait : *Non*

estis vestri : empti enim estis pretio magno.

Per quem Majestatem tuam laudant Angeli. Angeli laudant Dei Majestatem per Christum, quia grati agnoscunt beneficia sibi præstita per eum. Nam probabiliter data est ipsis fides, spes, charitas, gratia et gloria æterna meritis Jesu Christi, qui est illorum Caput. Quemadmodum enim caput in membra corporis sui derivat spiritus animales, et per eos motum et sensum : ita Christus tanquam Caput mysticum derivat in homines et Angelos (tanquam mystica sua membra) gratiam et gloriam. *Deinde* posito (secundum aliam sententiam, quæ et probabilis est) quod Angelis nihil meruerit Christus; tamen illi per Christum laudant Deum ob duas causas. I. Quia per Christum, ut Sapientiam Dei Patris, conditi sunt : quoniam *in ipso condita sunt universa*, ut inquit Apostolus ad Coloss. I. *sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates.* II. Quia per Christum incarnatum et passum restauratæ sunt ipsorum ruinæ ex hominibus electis; quod beneficium suum existimant per veram cha-

ritatem, qua cum *gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. 1. Cor. 12.*

Adorant Dominationes. Non ita accipiendum est, quasi *Dominationes* non laudent, quod faciunt Angeli; nec tremant, quod faciunt Potestates: sed quod de singulis dicitur, æqualiter de omnibus sentiendum.

Tremunt Potestates. Non metu formidinis, cum sint perfecte beati, sed præ reverentia et admiratione.

Cœli. Videtur hoc vocabulum *Cœli,* hic accipi pro ordine *Thronorum. Amalar.* Nec mirum, cum dicat Deus, Cœlum sibi sedem esse, et Throni ab eo dicantur, quod in iis Deus sedeat tanquam Judex. Eodem modo videntur accipi Cœli in cantico Sanctorum Ambrosii et Augustini.

Cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphim. Sex ordines hic exprimuntur, extremi scilicet seu primus, et tertius uniuscujusque Hierarchiæ, sub quibus tres medii, videlicet Cherubim, Principatus et Archangeli intelliguntur. Imo secundum Alcuinum et Remigium Antissiod. omnes Angeli hic nominantur implicite in verbo *Virtutes,* unde et in Ps. 23.

Dominus virtutum, id est, Angelorum *ipse est Rex gloriæ.* Florus.

Socia exultatione concelebrant, id est, concordi devotione laudant. *Florus.* Seu una laude et gratiarum actione prædicant. Durandus *loco supra citato, l. 2. c. 23.*

Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes. Merito precamur supplices, ut cum his purissimis et nunquam non devotissimis Spiritibus voces ac laudes nostræ (qui sumus abjecti peccatores, terreni ac distracti) a Deo acceptentur, ut solet etiam defectuosorum operariorum ac militum labor et pugna inter multos strenuos ac fortes, magna mercede ac præmio affici, non tam propter ipsos, quam intuitu fortium, inter quos ut socii censentur.

§ 9.

DE HYMNO TRISAGIO : *Sanctus*, etc.

Q. 1. *Unde is sumptus est?*

R. Partim ex c. 6. Isaiæ; et 4. Apocal. partim ex Ps. 117. et Matth. 21. incipiens

a laude Dei, et in orationem desinens, Angelorum et hominum commiscens voces.

Q. 2. *Cur ad eum pulsatur campanula?*

R. Tum in laudem Dei, tum ad excitandos astantium animos ad propinqua mysteria, sicut in Veteri Testamento Levitæ, tempore Sacrificii, tubis clangebant argenteis, quarum sonitu populus provocabatur ad adorandum.

Q. 3. *Quid significat hæc vox :* Sanctus?

R. Augustum et tremendum, deinde et purum, atque ab omni vitio alienissimum : atque ita perspicuum est, ut ait Sanctus Ambrosius *lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 18*, nihil pretiosius nos invenire posse, quo Deum prædicemus, nisi ut SANCTUM appellemus. *Per priorem significationem* excitatur reverentia, et viva Fides erga tam augustam et divinam Majestatem, quam alloquimur, et cui offerimus : *per alteram significationem* nos ipsos hymnum hunc canentes; et alios audientes indirecte hortamur, hanc sanctitatem Dei extollendo, ad veram puritatem et sanctitatem cordis, qua huic tam puro Deo laudando simus idonei.

Q. 4. *Cur post ter* Sanctus, *in singulari numero subjungitur* Dominus Deus?

R. Ut distinctio trium personarum Sanctissimæ Trinitatis, et unitas naturæ divinæ indicetur. Ut, inquam, Trinitatem Personarum in unitate Deitatis ineffabili mysterio veneremur, et unum Deum in Trinitate verbis cœlestibus prædicemus.

Q. 5. *Quid significat vox* Sabaoth?

R. Significat exercitus. Et vere Deus noster est Deus exercituum, tam cœlestium, quam quorumcunque terrenorum, quia omnes ipsi serviunt vel voluntarie, ut Angeli, vel invite ut mali homines, quod ad miram ejus omnipotentiam pertinet. Ideoque licet arma undique perstrepant, nobis satagendum tantum modo est, ut hunc exercituum Dominum habeamus propitium. Simul etiam insinuatur multitudo Angelorum mox adfutura, ubi eorum Dominus vere, realiter et substantialiter se exhibebit; quoniam *millia millium ministrant ei, et decies millies centena millia assistunt ei :* ut merito Sacerdos viva fide consideret se mox post hunc Hymnum, facta Consecratione, in medio Angelorum stare, ac Altare Cœlum ipsum fieri.

Q. 6. *Quid sibi volunt verba subsequentia:* Pleni sunt Cœli et Terra gloria tua?

R. Idem est, ac si diceretur : *Pleni sunt Cœli et Terra* gloriosa essentia, ac optima et sapientissima operatione tua, attingente a fine usque ad finem fortiter, et disponente omnia suaviter; cujus ratione, gloria et summa laude dignus es.

Q. 7. *Quid significat* Hosianna, vel Hosanna in excelsis?

R. Juxta peritos linguæ Hebraicæ, *Hosianna* vel *Hosanna* idem est, quod *Salva nunc tandem,* vel juxta divum Hieronymum, *Salvum fac quæso*. Itaque *Hosanna in excelsis,* idem est, ac si diceretur : Tu Deus, qui in excelsis Cœlis habitas, nos salva nunc tandem, salvos fac quæso : Vel, o Domine, quemadmodum ubique in Cœlo et in Terra gloria tua relucet per opera bonitatis tuæ; sic et in nobis gloriam tuam promove, nos salvando in excelsis, id est, donando res cœlestes hic, videlicet dona spiritualia, et in posterum gaudia beatitudinis. Neque enim salutem aut prosperitatem temporalem magni facimus.

Q. 8. *Quid significant verba subjuncta :*

Benedictus qui venit in Nomine Domini?

R. Benedictus sit, id est, laudetur a nobis et omnibus creaturis, qui venit olim in hunc mundum per Incarnationem, ut pro nobis pateretur, et nunc per sacram Consecrationem, ut a nobis offeratur et manducetur; venit inquam, *in nomine Domini,* id est, authoritate Dei Patris, et cum virtute divina.

Q. 9. *Cur Sacerdos format Crucem ante se, cum dicit:* Benedictus qui venit in Nomine Domini?

R. Ut significet, se grate agnoscere quis, quo, et quare venerit : nempe Christus brachium Dei ab alto cœlo in terram, ut nos, cum maledictis a sinistris alioquin ponendos, ad numerum Beatorum ad dexteram ponendorum transferret. Significatur insuper, quod magnificus ille et cum populi acclamatione ingressus in Jerusalem, non ad suscipiendum regnum Christo erat institutus, nec ad temporalem honorem, sed ad Crucis supplicium brevi perferendum. Sane nihil prohibet iisdem signis plura ac diversa significari.

Q. 10. *Cur repetitur* Hosanna in excelsis?

R. Ad indicandum magnum desiderium

salvationis æternæ : et revera nihil majoris momenti cogitari, desiderari ac peti potest. Sanctus Bonavent. *de exposit. Missæ, cap. 3.* dicit, per id quod *Hosanna* bis cantatur, duplicem stolam vel gloriam Sanctorum, scilicet animæ et corporis insinuari.

Q. 11. *Cur Ecclesia verbis Hebraicis* Hosanna, Alleluia, Sabaoth, et Amen; *verbisque Græcis* Kyrie eleison, et Christe eleison *in Missa Latina utitur?*

R. Joannes Fabri Haillbrunensis *lib. 4. de Missa Evang. cap. 5.* id ideo fieri, quod in linguis Hebraica, Latina, et Græca, ad caput Crucis affixus fuerit hic titulus, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Joan. 19. Idem aliis verbis dicit Hugo de S. Victore *in spec. de myst. Ecclesiæ, cap. 7.* addens, his tribus linguis laudem Dei in Ecclesia decantari.

[« In Missa latina, inquit Bened. XIV, verba græca adhibentur *Kyrie eleison,* atque etiam quædam hebraica, *Amen, Alleluia, Sabaoth, Hosanna;* ut eadem significetur esse Ecclesia, primum ex Hebræis et Græcis, ac deinde e Latinis conflata. » *Sect. 1. n. 102.*]

CAPUT IV.

DE CANONE MISSÆ.

§ 1.

CANONIS EXORDIUM.

Q. 1. *Unde* Canon *habet nomen?*

R. Ex eo, quod certa verborum et orationum regula sit, qua in quolibet officio Missæ, sine ulla variatione utendum est, paucis tantummodo verbis in paucorum festorum solemnitatibus nonnihil immutatis; præcedentia vero multis modis pro ratione temporis et festorum variantur.

Q. 2. *Nonne etiam vocatur* Actio? *Et quare?*

R. Quia in ea parte Missæ celebratur Actio sacrificii; cætera enim potius verba sunt, quam actiones. Et quamvis in aliis Missæ partibus aliquid etiam sit actionis, hæc tamen,

quia præcipua et excellentissima cæterarum, *per antonomasiam* recte Actio nominatur.

Q. 3. *Cur verba* Canonis *secreto legenda sunt?*

R. Ne alta sui prolatione in ore populi vilescant. *Deinde* ut Sacerdos tanto attentius possit ingredi secretum cordis sui, quanto minus per altam pronunciationem aut cantum distrahitur. Unde et Canon a quibusdam *Secretum* appellatur.

Q. 4. *Ex quibus constat* Canon?

R. Tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, et Sanctorum Pontificum piis constitutionibus, ut recte docet Concil. Trid. *sess. 22. cap. 4. de Sacrificio Missæ.*

Q. 5. *Ubi incipit, ubi finitur Canon, et in quot partes dividitur?*

R. Canon proprie dictus inchoatur a *Te igitur clementissime Pater,* et finitur immediate ante orationem Dominicam in verbis : *Per omnia sæcula sæculorum,* ita ut oratio Dominica sit extra Canonem. Dividitur autem is a quibusdam in plures, ab aliis in pauciores partes. Probabilior est sententia eorum,

qui dividunt eum in sex partes, et primam partem extendunt usque ad *hanc igitur oblationem;* ita ut illud *Memento Domine*, et illud *Communicantes et memoriam venerantes,* non sint diversæ orationes, sed patres primæ orationis, ut colligitur tum ex conclusione, *per eumdem Christum Dominum nostrum, Amen,* quæ ponitur in fine harum omnium precum, tum etiam quia illud *Communicantes,* non haberet ullum sensum, nisi continuaretur cum præcedentibus verbis.

§ 2.

PARS PRIMA CANONIS.

Q. 1. *Estne casu factum, quod Canon inchoetur a littera* T?

R. Nequaquam, sed de industria, ut notat Innocentius III. *lib. 3. de Mysterio Missæ. cap. 2.* et diversi alii, quia littera T signum Crucis præ se fert, et per eam monetur Sacerdos Canonem inchoans tota mentis intentione versari in viva memoria Passionis Christi.

Q. 2. *Cur in principio Canonis ponitur adverbium causale* Igitur?

R. Videtur respicere ad finem præcedentis Hymni, *Hosanna in excelsis,* q. d. ut igitur in excelsis salves, te supplices rogamus ac petimus. Nihilominus posset, dictio, *igitur,* tantum continuationis gratia dici apposita.

Q. 3. *Cur hic dicitur,* Clementissime Pater? *Et an illi offeratur Sacrificium?*

R. Merito dicitur : *Clementissime Pater,* quia ad Patrem docente Christo dirigitur omnis oratio : et ad captandam ejus benevolentiam bene additur, *Clementissime*. Neque tamen illi soli, at toti Trinitati offertur Sacrificium, ut probat S. Fulgentius *lib. 2. ad Monimum. cap. 2. 3. 4. etc.* Vide supra *de Collecta* ubi latius expositum, cur orationes ordinarie dirigantur ad Patrem, et tamen etiam aliæ Personæ invocentur.

Q. 4. *Cur additur* : Per Jesum Christum F. T. D. N.?

R. Quia merito ipsius, tanquam Mediatoris, exaudiri solent preces nostræ. Ipse insuper, ut Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech, hic per ministerium nostrum sacerdotio fungitur seipsum offerens.

Q. 5. *Quare dicit Sacerdos in plurali,* Supplices rogamus ac petimus?

R. Quia ex parte totius Ecclesiæ et omnium Christi Fidelium Sacrificium offert. Et quoniam qui aliquid implorat, humilitatem debet ostendere, et de impetratione confidere, bene dicit Sacerdos, *Supplices rogamus ac petimus*. Supplex rogatio ostendit humilitatem, petitio confidentiam. Odo Cameracensis *in exposit. Can. in princip*.

Q. 6. *Cur hic dicitur, ut Deus dona accepta habeat et benedicat, cum videantur prius debere benedici, quam a Deo acceptentur?*

R. Sicut Oblatio est duplex, una rei, vel Hostiæ consecrandæ, altera consecratæ; ita et acceptatio est duplex. Benedictio autem et sanctificatio unam earum oblationum et acceptationum sequitur, alteram præcedit. Unde sicut hoc loco, ubi agitur de prima acceptatione, postponitur benedictio : ita paulo post in illa oratione; *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris,* ubi agitur de posteriore acceptatione, præponitur benedictio. Bellarm. *lib. 2. de Missa cap. 21*.

Q. 7. *Cur ad dicta verba*, accepta habeas,

et benedicas, *Altari osculum imprimimus?*

R. Videtur gestus esse blandientis, quo Altare, quod Christum Dei Patris Filium significat osculantes, quasi blandientes deprecamur obtinere, quod petimus.

Q. 8. *Quomodo intelligenda sunt quæ sequuntur,* hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia illibata?

R. Non aliud atque aliud dicitur, sed res una pro sui magnitudine diversa appellatione laudatur. Quæ enim divinis Altaribus offeruntur, et munera appellantur, ut Matth. 5. *Si offers munus tuum, etc.,* et dona, et Sacrificia, sicut Apostolus de Pontifice, *ut offerat dona, et Sacrificia.* Hebr. 5. Itaque sermonum repetitio tanti Sacramenti est commendatio, et piæ devotionis excitatio. Durandus *de Ritibus Ecclesiæ lib. 2. cap. 33.* post Alcuinum, et alios. Ad hoc enim fit, ut homo cogatur interea reverentiam erga Deum in corde suo excitare, dum non licet ea obiter nominando præterire. Micrologus *lib. de observant. Eccles. cap. 14.* Alias *dona, munera, et Sacrificia* sic distinguuntur, quod *dona,* et *munera* sint ea, quæ Deo offe-

runtur sine reali immutatione, *Sacrificia* cum ejusmodi reali immutatione.

Q. 9. *Cum tantum sint panis et vinum, quæ hic offerimus, quare dicuntur Sancta Sacrificia illibata?*

R. Recte paulo ante consecrationem ita vocari : *Sacrificia* quidem, quia sunt materia Sacrificii, et jam dedicata et parata, ut ex iis fiat Sacrificium. Nam et in Lege veteri dicebantur passim Sacrificia oves adhuc viventes, quando scilicet adducebantur, ut immolarentur. Unde est illud Cypriani in serm. de opere et eleemosynis : *Dives et locuples in Dominicum sine Sacrificio venis*. Et Levitici 4. 5 et 6. et alibi jubentur singuli quique de populo afferre agnum, vel aliquid ejusmodi in Sacrificium pro peccato, et tamen non quilibet de populo proprie sacrificabat (id enim erat solius Sacerdotis munus) sed dicebantur illi offerre Sacrificium pro peccato, quia offerebant materiam, ex qua Sacrificium pro peccato faciendum erat. Dicuntur autem merito *Sancta et illibata*, quia jam dedicata, et ad usum divinum per priorem oblationem consecrata sunt : et etiam quia pura et sancta

intentione offeruntur ab Ecclesia. Sed quamquam eo modo sancta sint, tamen sanctiora fieri debent per mutationem in Corpus et Sanguinem Christi; et ideo recte petimus, ut Deus illis benedicat, nimirum ut sic fiat nobis Corpus et Sanguis Christi, ut infra in alia oratione petimus. Bellarm. *lib. 2. de Missa cap. 21*. Cæterum, dum dicitur, *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia illibata,* possent quoque intelligi demonstrari non hæ substantiæ, quales nunc sunt, sed in ordine ad id, quod facta consecratione erunt. Cum enim oblatio vel consecrando, vel simul cum consecratione fiat, ac brevissimo temporis spatio transeat, necesse est ante et post eam eloqui, quæ ad eam spectant, qualis est oratio, ut Deus hoc Sacrificium acceptum habeat, id est, donando nobis, quæ per illud petimus, sibi acceptum esse declaret, et benedicat, faciendo scilicet obtineri, quod per illud petitur. Quemadmodum Ps. 19. dicitur: *Memor sit Dominus Sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat,* et mox significans quando Dominus memor sit Sacrificii, et quando illud pingue fiat, et quasi benedicatur

a Deo subjungit: *Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.*

Q. 10. *Cur signum Crucis hic* ter, *et alibi* semel, *et quandoque* quinquies, *exprimitur?*

R. Ter exprimitur ad significandam divinarum Personarum Trinitatem; alibi *semel* ad denotandam essentiæ divinæ unitatem; et subinde *quinquies*, ad quinque præcipua vulnera Christi repræsentanda, ut dicunt diversi Missæ ac cæremoniarum illius Expositores. Cæterum meminisse oportet, quod in libello de Ecclesiastica Hierarchia dicit Dionysius Areopagita, multas Ecclesiæ cæremonias esse, quarum ratio solis Angelis nota sit, quæ nihilominus a Spiritu Sancto per Superiores nostros acceptæ fideliter ac reverenter a nobis observandæ sunt. Illud interim certum est, semper visibilem quandam orationem vel gratiarum actionem esse Crucis efformationem, qua vel quod petimus, per Christum crucifixum nos petere significamus, vel quod datum agnoscimus, ejus Cruci adscribimus. Deinde et populi monitio est, ut Crucis Christi vivam habeat memoriam, quæ *omnium fons benedictionum, omnium est causa gratia-*

rum, teste S. Leone *serm. 8. de Passione.*

Q. 11. *Quænam sunt consideranda circa ea quæ sequuntur :* In primis quæ tibi offerimus, etc. *usque ad* Memento?

R. I. Hic servari justum ordinem charitatis, et secundum eum prius totius boni communis, et postea particularium personarum rationem haberi, et inter particulares prius earum, unde plus momenti dependet, ut Papæ, et Antistitis.

II. Dum dicitur *pro Ecclesia tua sancta Catholica,* dictionem, *tua,* emphasim habere ad movendum Deum.

III. Ecclesiam dici *sanctam* a capite suo Christo, qui eam in Sanguine suo sanctificavit et per Spiritum suum sanctum sibi totique Trinitati consecravit.

IV. Per Antistitem intelligi Episcopum, non Celebrantis, sed loci in quo celebratur, ut post Bellarm. dicit Gavantus *loco supra citato, part. 2. cap. 8.*

V. Per Orthodoxos quidem a Durando intelligi viros gloria celebres, qui nimirum in sublimitate sunt, et tanquam recta gloria vel majestate præditi præsunt in Ecclesia. *Lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ Cathol. cap. 33. num.*

19. ubi inter cætera dicit hæc verba : quasi Ecclesia juxta Pauli præceptum, I. Tim. 2. oret pro Regibus et his, qui in sublimitate constituti sunt : at potius intelligendos omnes rectam fidem tenentes seu Catholicos, ita ut sequens conjunctio, *atque*, non accipiatur copulative, sed expositive.

VI. Bene ac serio recogitandum Sacerdoti quantam diligentiam, sollicitudinem ac reverentiam tanta legatio apud divinam Majestatem circa res tam augustas, pro tanta multitudine requirat.

Q. 12. *Quid petitur, quando rogatur Deus,* ut Ecclesiam pacificare, custodire, adunare et regere dignetur?

R. Petitur I, ut Ecclesia, et intus, id est, inter Catholicos Principes pace gaudeat, et foris, id est, ab Hæreticis, Schismaticis ac Turcis non molestetur, nec ulla adversitate persecutionum ejus tranquillitas perturbetur. II. Ut in omni loco, ad quem propagata fuerit, persistat. III. Ut omnium fidelium mentes per unitatem Fidei, Spei et Charitatis unius efficiantur voluntatis, et multitudinis credentium sit cor unum. IV. Ut Deus supe-

rioribus et rectoribus Ecclesiæ suæ recta inspiret decreta, viresque sufficiat, ut valide per eosdem, quod bene constitutum est, executioni mandetur.

Q. 13. *Cum Deus nihil ignoret, nec alicujus valeat oblivisci, cur hic dicitur:* Memento Domine famulorum, famularumque tuarum?

R. Deus dicitur *oblivisci,* quando non adjuvat; et *reminisci* quorum miseretur; sicut etiam dicitur *novisse,* quorum vitam approbat. (Durandus in *Rationali lib. 4. cap. 37. num. 2*); *et nescire,* quos reprobat. Unde Matth. 7. *Nunquam novi vos.* Alex. de Ales, *part. 4. quæst. 37.* ad verba, *Memento Domine.*

Notandum.

Occasione Commemorationis *Vivorum*, quæ hic fit, et *Defunctorum,* quæ fit postea.

Q. 14. *Quis valor sit Sacrificii Missæ, et quomodo ille applicandus?*

R. Sacrificium Crucis fuit quidem infiniti valoris, atque ideo unum tantum fuit, nec unquam repetitur : sed Sacrificium Missæ

vere est finiti valoris, (quod maxime tenendum est, quoad fructum ex opere operato dispensationi Sacerdotis commissum, ex communi sententia Theologorum), atque ideo frequentissime in dies repetitur. Inde sequitur, quo pluribus Sacerdos fructum Sacrificii ex opere operato suæ dispensationi commissum applicat, eo minorem illius portionem ad singulos pervenire, quandoquidem fructus finitus in plures divisus minor sit in singulis, quam si in unum vel pauciores conferretur. Unde ulterius consequens est, obligatum celebrare Missam pro duobus, obligationibus distinctis, non satisfacere celebrando unam pro utroque. (Scot. *quodlib. 20. art. 3.* Gabr. Biel in *Canon. Miss. lect. 27*. Navar. in *Man. cap. 25. num. 111*): quia scilicet utrumque fraudat media parte dicti fructus qui alteri applicatur. Et contraria sententia nec practice probabilis est, nec tuta in conscientia.

[S. Alphonsus de Lig. *Th. mor. l. 6. n. 312*, duplicem exponit sententiam de valore Missæ, quoad ejus applicationem. «*Secunda* vero sententia, inquit, a recentioribus

hodie communissime recepta, docet, valorem Missæ esse intensive et extensive infinitum quoad sufficientiam, ratione infinitæ dignitatis Christi, qui in hoc Sacrificio est victima, et principalis offerens. »

Spectata autem probabilitate hujus sententiæ, consultum est ut Celebrans intendat Missam imprimis applicare ei qui jus habet v.g. ratione stipendii, ac præterea aliis, juxta beneplacitum, puta parentibus, benefactoribus, etc., in quantum potest absque præjudicio habentis jus. Hac enim *conditionali applicatione* non se committet periculo lædendi jus acquisitum; et tamen, si dicta communissima sententia vera sit, pluribus proderit eodem Missæ sacrificio. Cf. S. Lig. *l. c.* verbo *Hæc secunda sententia.*]

Q. 15. *Quis est sensus eorum, quæ sequuntur usque ad* Communicantes?

R. Is, qui singulis verbis subjicietur, multis placet :

Quorum tibi fides cognita est, et nota devotio. Fides scilicet et devotio erga hoc sacrosanctum Missæ officium, et qua cupiunt ejus participes fieri. Vel *generaliter* : Quam

recte credant, et quam devote diligant te, tu vides in conscientiis eorum. *Alcuinus.* Et *notandum*, secundum fidei et devotionis cujusque proportionem, ex Altaris Sacrificio fructum singulis provenire, ut qui fidei devotione præcellit, spiritualis gratiæ ampliorem fructum recipiat.

Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Sensus est : Memento, Domine, talium vel talium absentium, et omnium etiam præsentium et circumstantium, pro quibus omnibus offerimus (ego scilicet et Ecclesia) vel etiam, qui simul nobiscum desiderio et consensu offerunt, votisque et oratione cooperantur.

Hoc Sacrificium laudis. Non intelligitur Sacrificium spirituale, quod in laude et gratiarum actione consistit, sed significatur ea voce Sacrificium veri Corporis Christi, quod Sacrificium laudis dicitur, quia per illud magnopere laudatur, et gratiæ illi aguntur pro summis ejus in nos beneficiis; et S. Augustinus ipsam Eucharistiam non semel appellat *Sacrificium laudis*, ut *lib. 1. contra advers. leg. et proph. cap. 20.* Unde etiam

Sacrificium Eucharisticum merito appellatur.

Pro se, suisque omnibus, quibus vinculo naturæ, sanguinis, affinitatis, superioritatis, amicitiæ, familiaritatis, beneficiorum, promissionis, et aliter obstricti sunt.

Pro redemptione animarum suarum, scilicet a malo culpæ et debito pœnæ, nec non a peccato futuro. Dicitur enim Deus *redimere* eos, quos præservat a peccato, in quod alioquin incidissent. Ps. 33. *Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes, qui sperant in eo.*

Pro spe salutis, scilicet æternæ. *Et incolumitatis suæ,* scilicet temporalis, quatenus illa est ordinatum medium ad Dei gloriam et beatitudinem obtinendam.

Tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero : id est, pia desideria abs te data in te referunt. Hæc nostra dicuntur propter liberi arbitrii nobis concessi cooperationem.

Q. 16. *Quomodo intelligendum* Communicantes?

R. Alcuinus, Amalarius et alii referunt illud ad communionem cum Sanctis, ut sensus sit : *Offerimus hoc Sacrificium commu-*

nicantes memoriis Sanctorum. Sed Microlog. *de Eccles. observ. cap. 12.* et Hugo Victorinus *lib. 2. de Cæremoniis, Officiis, etc. cap. 29,* volunt illud *Communicantes* referri ad offerentes inter se, non cum Sanctis, ut sensus sit : *Offerimus communicantes inter nos,* id est, inter nos uniti et conjuncti, ut decet membra unius corporis. Id probat Micrologus optima ratione : nam in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Ascensione et Pentecoste, post illud *Communicantes,* additur, *et diem sacratissimum celebrantes* etc. ubi aperte videmus illud *Communicantes* non conjungi cum memoria Sanctorum, sed per se manere, et ad solos offerentes referendum esse.

Q. 17. *Ad quid verba sequentia,* Memoriam venerantes?

R. Significamus nos hoc Sacrificio grate recolere, et Deo gratias agere, quod confratres nostros tantum exaltavit, sibique tam gratos reddidit, et simul eorum meminisse tanquam fidorum et validorum auxiliatorum nostrorum. Et cum tali memoria Sanctorum oramus Deum, ut illorum commembrorum

nostrorum meritis, precibusque, nobis concedat in agendis et fugiendis auxilium protectionis suæ contra quosvis inimicos per Christum hic offerendum, cujus Sacrificii participatione per nos sumus indigni. Neque enim Sancti vim Sacrificii adjuvant, sed illorum intuitu præteritur indignitas nostra, et suppletur defectus noster, propter quem alioquin non fieremus participes Sacrificii per se efficacissimi. Ideoque decet nos hanc orationem dicendo, actualiter et pie, licet brevissime, horum Sanctorum excellentiam cogitare et intercessionem desiderare, et ante Missam nos colligentes, id paulo fusius facere, quod olim in ipso Missæ Sacrificio fieri solebat prolixius.

Q. 18. *Cur hic, dum enumerantur Apostoli, non servatur ordo, qui est in Evangeliis per Hieronymum emendatis?*

R. Hoc est indicium antiquitatis ipsius Canonis, ut bene notavit Walfridus Strabo, *de rebus Eccles. c. 22,* quod scilicet ea pars Canonis prius fuerit composita, quam a Sancto Hieronymo Evangeliorum Codices Latini ad vetera Exemplaria Græca corrigerentur, Bellarm. *loco supra citato, cap. 20.*

Q. 19. *Cur nulla in Canone fit mentio Sanctorum Confessorum?*

R. Innocentius III. *lib. 3. cap. 10. de mysteriis Missæ :* Quia eo tempore Canon est compositus, quo nondum cœperant publice coli in Ecclesia Sancti Confessores. Porro Martyres cœperunt publice invocari et eorum nominibus dies festi coli, et basilicæ erigi ab initio plane Ecclesiæ.

Q. 20. *Cum Martyres tantum in Canone Missæ ponantur, cur in eo ponitur B. V. Maria?*

R. Summo jure ponitur, tum quod præsentis Sacrificii Hostiam incorrupta virgo permanens genuit, scilicet Jesum Christum Dominum nostrum, cujus Mater cum sit, vere etiam Dei Genitrix; tum quod fuerit plus quam Martyr, atrocius passa gladio Passionis Christi, quam passi sint Martyres. Sanctus Ildephonsus *serm. 2. de Assumpt. Beatæ Mariæ,* post Hieronymum et alios.

Q. 21. *Cur post 12 Apostolos nominantur alii 12 Martyres?*

R. Quia duodenarius numerus sacramentum est cujusdam universitatis, teste Sancto

Augustino super Ps. 86. Nec indignum consideratione, quod inter eos sex nominentur Pontifices et totidem non Pontifices.

§ 3.

SECUNDA PARS CANONIS.

Q. 1. *Absoluta prima parte Canonis, quæ fuit fusior, quis est sensus secundæ partis?*

R. Patebit ex sequentibus.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, id est, quam nos servi tui, cultum latriæ exhibentes, tibi offerimus.

Sed et cunctæ familiæ tuæ, id est, cunctæ Ecclesiæ. *Florus*. Fideles enim sunt domestici Dei.

Quæsumus Domine, ut placatus accipias. Oramus Deum, ut ipsam oblationem panis et vini accipiat, ut materiam Sacrificii futuri, eam videlicet benedicendo, et sanctificando.

Diesque nostros in tua pace disponas. Addita est hæc petitio a Gregorio primo (Joannes Diaconus, *lib. 2. vitæ ipsius n. 17*), occasione pestis Romanæ, et bellorum. Lopes

de Sacrificio Missæ lib. 2, c. 14. Signanter additum est, *tua,* dicit Odo, ad distinctionem pacis mundi. Sensus igitur est : Oramus in hac vita liberari ab omnibus, quæ conscientiam nostram quoquo modo inquietam reddere, et nos extra Dei amicitiam ponere possent.

Atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Non oramus pro mutatione divinæ providentiæ, ut quasi nos etiam reprobos inter æternaliter electos constituat; nam infallibiliter Deo stat certus electorum numerus et reproborum; sed petitur gratia Dei et præsens justitia, sine qua nemo ad finem electionis pertinget. Neque ea petitur per oblationem panis et vini; ut hæretici calumniantur, sed per Christum Dominum nostrum. *Notandus* interim est ordo præfatarum 4 petitionum, et quam multa et magna paucissimis verbis petantur. Ita sane impletur præceptum Salvatoris, *Orantes nolite multum loqui.*

Q. 2. *Cur Sacerdos, dum prædictam orationem dicit, manus expansas tenet super oblata?*

R. Forte hac cæremonia profitetur admirabile opus, quod aggreditur, non facturum se propriis viribus, sed virtute ordinationis per impositionem manuum Episcopi. Forte hæc ipsa cæremonia est oratio, ut Spiritus Sanctus, qui in principio mundi ferebatur super aquas, feratur etiam super hæc oblata. Fortassis etiam datur intelligi, hæc mysteria tegi, etiam Angelis, nedum hominibus. Ut ut sit, certum et indubitatum videtur, quod hæc expansio manuum super oblata fiat ex antiquo ritu Sacrificii, uti constat ex pluribus Scripturæ locis, signanter ex Levit. cap 3. et 1. ubi dicitur : ***Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, si holocaustum fuerit ejus oblatio, ponet manum super caput Hostiæ et acceptabilis erit**, atque in expiationem ejus proficiens*. Porro hoc ritu, et hac manuum impositione, offerens, *primo* significabat, se victimam, e sua manu et potestate, in Dei jus transferre et manumittere, unde et ea cæremonia adhibita fuit in Levitarum oblatione et consecratione Numer. 8. Significabat *secundo*, se imprecari, imputare, et quodammodo imponere peccata sua Hostiæ

sacrificandæ, eamque pro se offerre in sui expiationem. Unde Eusebius, *lib. 1. demonst. Evang. cap. 10. Manuum impositio* (inquit) *symbolum oblationis erat, et testimonium reatus in Hostiam translati.* Significabat *tertio*, se cum victima totum offerre Deo semetipsum et impendere obsequio divino. Et *hæc tria* inter alia significantur ista manuum Sacerdotalium expansione et impositione.

§ 4.

CANONIS PARS TERTIA.

Q. 1. *Ubi incipit, et ubi finitur tertia pars Canonis?*

R. Incipit ab illis verbis : *Quam oblationem, tu Deus, etc.* et continuatur usque ad finem consecrationis.

Q. 2. *Quis est sensus hujus tertiæ partis Canonis?*

R. Intelligitur ex iis, quæ subjiciuntur.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, id est, quoad omnes, qui tibi offerunt et pro quibus tibi offerimus; *Item* quoad omnia, quæ

per eam petimus; et *postremo* quoad omnia, quæ ad illam quomodocumque spectant.

Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris. Expositio literalis hæc esse videtur. Petimus a Deo, ut ipse oblationem nostram consecrando, *benedictam*, ex profana efficiat: eamdem approbando, faciat *adscriptam*, id est, adscribat et numeret inter dona, quæ ipsi probantur; confirmando *ratam* efficiat, id est, stabilem et firmam, ut fructum certum et perpetuum ad nos referat; *rationabilem* quoque faciat, ut non solum bona, sed etiam bene, rationabiliter et prudenter offeratur, ac sit rationabile obsequium nostrum, juxta Apostolum ad Rom. 12. Deinde *acceptabilem* faciat, id est, ita undique bene se habentem, non solum ex parte doni, sed etiam ex parte ministri offerentis, ut digna sit, quæ a Deo acceptetur. Bellarm. *lib. 2. de Missa c. 23.* Diversas alias expositiones qui videre voluerit, inveniet apud Alcuinum, Amalarium, Rupertum, Hugonem, Innocentium, Bonaventuram et alios.

[Varie rerum harum Scriptores explicant

verba *benedictam, adscriptam, ratam,* etc. Omnium maxime concinna nobis ea videtur explicatio, quæ affertur in canone, *Utrum, de consec. dist. 2,* qui a Gratiano tribuitur D. Augustino, sed revera sumptus est ex Paschasii libro *de Corpore et Sanguine Christi, cap. 12.* Verba Paschasii hæc sunt : *Rogamus, hanc oblationem benedictam, per quam benedicamur; adscriptam, per quam nos omnes in cœlo conscribamur; ratam, per quam in visceribus Christi censeamur; rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilemque facere dignetur, quatenus et nos, per quod in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio simus.* » Ben. XIV, *sect. I, n. 248.*]

Ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Non hic petitur, ut fiat per consecrationem Corpus Christi, ut bene notavit D. Thomas *part. 3. quæst. 83. art. 4. ad 7,* sed ut, quod per consecrationem et Sacrificium futurum est, fiat nobis, *id est,* ad nostram salutem, et non ad condemnationem ; quemadmodum in persona electorum dicebat Isaias, cap.

9. *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis;* se et electos per hoc distinguens, ab iis quibus datus est, ut *lapis offensionis et in petram scandali, et in signum cui contradicetur.*

Accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas. Sanctitatis ac venerationis mentione attentior fit Sacerdos ad opus futurum, admoneturque, ut ipse habeat puras et sanctas manus.

Et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem. In actione cœnæ Christum oculos ad cœlum sustulisse, testantur inter alios S. Jacobus in sua Liturgia, et S. Ambrosius, *lib. 4. de Sacrif. c. 5.* fecitque hoc Christus ad designandum dignitatem hujus institutionis, et ad eam divina prorsus ac cœlesti potentia opus esse. Deinde etiam hoc gestu insinuatur, universas animi vires et cogitationes, dum hæc geruntur, a terra in cœlum transferendas.

Tibi gratias agens. Utique nomine nostro innuens nos potiori ratione debere gratias agere, quibus tantum bonum divinitus factum est.

Benedixit, id est, Deum invocavit cum gratiarum actione. Invocavit, inquam, qua homo, pro institutione tanti Sacramenti, et transsubstantiatione panis et vini in Corpus et Sanguinem suum. Vel *benedixit,* id est, bonæ imprecationis et benedictionis virtutem in panem transfudit, qua in sacrosanctum Corpus suum converti posset : quemadmodum suæ benedictionis efficacia quinque panes multiplicavit, et rebus a se conditis propagandi se vim dedit. Porro ad verbum, *benedixit,* nos signum Crucis adhibemus pani, et postea calici, non quasi Christus hoc signum adhibuerit, quia nondum data erat Cruci deifica virtus, sed ad significandum, quod istud beneficium nobis sine merito Christi non obtigerit.

Fregit, vel panem ante consecrationem, vel si demum post consecrationem, speciem panis, non Corpus suum, quod non erat quantitative sub specie Sacramentali.

Deditque discipulis suis, dicens : Accipite et manducate ex hoc omnes. Non accipiendum est, quasi diversas partes diversis, et non singulis se totum manducandum Christus

præbuerit; sed ita accipi debet, ac si diceretur : manducate omnes hoc ipsum, quod vobis præbeo manducandum Corpus meum. Videtur autem dixisse, *Manducate ex hoc omnes*, consideratione specierum, sub quibus veritas latet Corporis et Sanguinis Dominici, non secundum veritatem ejus, quæ latet, substantiæ. Licet enim secundum speciem, alia videatur particula, quam hic, et alia, quam ille sumit; secundum tamen veritatem una est, et eadem totius Dominici Corporis substantia, quam singuli manducant, nec plus manducant mille quam unus. Eodem modo intelligendum id, quod postea dicitur de Calice : *Bibite ex eo omnes*. Unde bene dicit Odo : *Modo sicuti est, modo sicut apparet, de Corpore Christi loquimur; Hostias plures et unum dicimus Corpus*. Cæterum prædicta verba : *Manducate ex hoc omnes*, commendationem continent unitatis et pacis, ut per hoc mysterium Christo participantes, unum omnes simus in illo. Florus.

Hoc est enim Corpus meum. Induit hic Sacerdos personam Christi, et in ejus persona

profert hæc verba non materialiter tantum et recitative, sed formaliter, significative et operative. Et ad hoc repræsentandum, Sacerdos verba consecrationis pronuncians ponit utrumque cubitum super Altare, ut Christum per Altare significatum, Sacerdoti quodammodo unitum, per os ejus verba Consecrationis proferre intelligamus. Satagendum proinde est Sacerdoti, ut verba Consecrationis proferat bene, attente, devote, et cum præsenti actuali intentione. Interim considerandum quinque esse verba hujus Consecrationis : nec enim hoc vacat mysterio : totidem verbis fuit consummata Incarnatio, dum dixit B. V. Maria, *Fiat mihi secundum verbum tuum*. Publicanus totidem obtinuit remissionem peccatorum, dicendo : *Deus propitius esto mihi peccatori;* Latroni totidem cœli promissio facta : *Hodie mecum eris in Paradiso*. Gabr. Biel. *Lect. 38. in Canonem Missæ.*

Mox post Consecrationem Sacerdos procumbit, ad adorandum S. Eucharistiam : quod dum facit, verba aliqua piam orationem et fidei inflammationem breviter continentia apud se cogitet, veluti : Adoro te Dominum

meum, et Deum meum; *Tu es Christus Filius Dei vivi; Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Porro sacræ Hostiæ, et postea consecrati Calicis adoratio fit unico genu, ut facta adoratione facilius surgat Sacerdos. Neque utrumque genu flectendum est dum dicitur : ***Flectamus genua*** : hoc enim vere fit, dum singuli genu flectunt.

Deinde consurgens mox eamdem S. Hostiam elevat, atque oculis omnium exhibet, adorationis ergo. Interim merito devotionem suam in Sanctissimam Trinitatem erigens, et inflammans, sic fere apud se cogitet : *Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui,* ut omnia nobis dones, propter quæ nobis obtinenda idem Christus tuus isto modo in altam Crucem exaltatus est. Cæterum, Sanctus Bonaventura *de exposit. Missæ, cap. 4.* novem causas refert, quare in Missa Sacerdos Corpus Dominicum in altum levat, et fidelibus astantibus ostendit : dumque agit de septima causa, eam concludit his verbis : *Elevat ergo Sacerdos Corpus Christi in Altari, quasi dicat : Ecce quem totus mundus capere non potest, captivus noster est : ergo*

eum non dimittamus, nisi, quod petimus, prius obtineamus.

Simili modo, quo panem acceptum in sanctas ac venerabiles manus suas, benedixit et prolatione verborum consecrationis convertit in Sanctissimum Corpus suum; simili etiam potentia, et charitate erga nos,

Accipiens et hunc præclarum Calicem. Signanter dicit, *hunc*, quia Calix, quem Sacerdos Catholicus sacrificat, non est alius, nisi ipse, quem Dominus Apostolis tradidit. Alcuinus et Florus, *loco supra citato*. Fitque allusio ad Psal. 22. *Calix meus inebrians quam præclarus est!*

In sanctas ac venerabiles manus suas : item tibi gratias agens benedixit, deditque discipulis suis, dicens : accipite et bibite ex eo omnes. Hic serviunt, quæ superius dicta sunt de pane, usque ad consecrationem illius.

Hic est enim Calix Sanguinis mei, id est, Sanguis meus; per metonymiam scilicet, qua ponitur continens pro contento : vel per hypallagen, qua *Calix Sanguinis* ponitur pro Sanguine Calicis : quomodo etiam dicitur

vas aquæ effundi, quando aqua vasis effunditur.

Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et æterni testamenti. Hic est Sanguis non vitulorum et hircorum, qualis fuit sanguis fœderis, pacti, testamenti antiqui, quod pepigit Deus cum populo, *Exodi 24.* et *Hebr. 9,* sed est proprius Sanguis meus, quo sancitur novum fœdus meum vobiscum, quo confirmatur et impletur novum testamentum, idemque æternum, quia semper duraturum, nec aliud ei succedet.

Mysterium Fidei. Fidei, inquam, Theologicæ, Christianæ et Catholicæ sacrum arcanum: grande et profundum secretum, occultum sub speciebus sacramentalibus. Ideoque inter omnia Fidei mysteria, a Sanctis Dionysio, Basilio, Cyrillo et Chrysostomo, Sacra Eucharistia antonomastice vocatur *mysterium.* Ad quam etiam, sacrumque illius Calicem, interpretes referunt *primæ ad Tim. 3. locum* Divi Pauli a Diaconis exigentis, ut sint *habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Quia spectabat ad Diaconos Calicis cum Sacerdote oblatio, illiusque dispensatio.

Ad rem præsentem Odo Cameracensis: *Quod creditur,* inquit, *sensibilibus obtegitur; quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Quia itaque, quæ videmus in Altari, æstimanda sunt, non specie, sed Fide, recte dicuntur *mysterium Fidei.* Alcuinus et Florus. Magno enim mysterio Fidei fit, ut sensibus nihil tale percipientibus, vere tamen, realiter et substantialiter ibi sit verum Christi Corpus et Sanguis.

Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Pro omnibus quidem *quoad sufficientiam,* pro multis vero *quoad actualem efficaciam.* Consecratum Calicem adorando, posset Sacerdos apud se cogitare hos Hymni Ecclesiastici versiculos: *O salutaris Hostia, quæ cœli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.* Dixi *cogitare,* sed non ore proferre, quia ex devotione privata, nihil est addendum Missæ, aut cæremoniis illius.

Erigens se Sacerdos, Calicem elevat, ut populus adoret. Et hæc ipsa elevatio repræsentat elevationem Christi in Cruce. Sanctus

Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum citatus à Durando, *loco supra citato, lib. 2, c. 40*. Porro inter elevandum Calicem, Sacerdos pie posset et breviter apud se meditari, sed non proloqui : o Domine Jesu, qui propter me sic exaltatus es a terra, trahe me post te.

Hæc quotiescumque feceritis, id est, quotiescunque consecrando obtuleritis, sacrificaveritis et communicaveritis. Facere enim est sacrificare *Exodi 29. Levit. 29. Numer. 6.* et alibi.

In mei memoriam facietis, id est, tam gratam memoriam mortis meæ recoletis, ut et ipsi illam imitemini, saltem mortificando membra vestra, quæ sunt super terram, *id est,* prava desideria et concupiscentias. Imo non dixit Salvator : In memoriam Passionis meæ facietis, sed *in mei memoriam facietis,* quod latius patet, et non ad solius Passionis memoriam restringi debet, ut constat ex iis, quæ mox dicentur. Et hic concluditur tertia oratio Canonis.

Notandum.

Occasione verborum consecrationis panis et calicis, quædam non inutiliter quæri posse videntur. Hinc :

Q. I. *Prolatis verbis consecrationis, remanentne panis et vinum?*

R. Remanent species utriusque, at nihil omnino remanet ex substantia panis aut vini ; sed ea tota est transsubstantiata in Corpus et Sanguinem Christi.

Q. II. *Quæ sunt species panis et vini?*

R. Accidentia utriusque, *exempli gratia :* quantitas dimensiva, latitudo, superficies, rotunditas, figura, color, sapor, odor, albedo, rubedo, dulcedo et similia.

Q. III. *Suntne accidentia ista in subjecto panis et vini?*

R. Non sunt : facta enim consecratione, nihil omnino remanet ex substantia panis et vini, ut dictum est : itaque accidentia sunt ibi sine subjecto.

Q. IV. *Quomodo id fieri potest, etiam potentia et virtute divina : quandoquidem illa non possit efficere id quod implicat contradictionem? Implicat autem contradictio-*

nem aliquid existere sine sua essentia : atqui accidentis esse est, inesse, ergo etc.

R. De essentia quidem accidentium est, quod sint *apta* inhærere subjecto; sed non ut *actu* inhæreant. Ita enim se habet modus inhærentiæ ad entitatem accidentis, sicut modus existendi per se ad entitatem substantiæ. Atqui sublato modo existendi per se, entitas substantiæ conservari potest sola continuatione prioris influxus, *ut docet Suarez Metaphys. disp. 15. sect. 9*. Ergo similiter entitas accidentis conservari poterit sublato subjecto, et modo illo inhærentiæ. *Leon. Lessius de perfection. divinis, lib. 12. num. 111.*

Q. V. *Quid est,* ex vi verborum consecrationis, *sub speciebus panis, et quid sub speciebus vini?*

R. Sub speciebus panis, est Corpus Christi tantum : et sub speciebus vini est tantum Sanguis Christi. *Ratio est :* quia verba consecrationis panis faciunt tantum expressam mentionem Corporis : et verba consecrationis vini faciunt tantum expressam mentionem Sanguinis.

Q. VI. *An absolute nihil aliud sit sub speciebus panis, quam Christi Corpus; et sub speciebus vini nihil aliud quam Sanguis Christi?*

R. Est aliud; *scilicet:* sub speciebus panis cum Christi Corpore, est per concomitantiam naturalem, Sanguis ipsius et Anima: et sub speciebus vini, cum Christi Sanguine est per concomitantiam naturalem, Corpus ipsius et Anima: et per unionem hypostaticam sub utrisque speciebus est etiam Divinitas. *Conc. Trident. sess. 13. cap. 3.*

Q. VII. *Quid est unio hypostatica?*

R. Est conjunctio humanitatis cum Verbo ita, ut non subsistat propria hypostasi, sed personalitate Verbi. Ideoque quamvis Christus habeat naturam humanam, et sit verus homo; non est tamen persona humana, sed divina: quia non habet personalitatem humanam, sed divinam tantum.

[Quæritur quæ sit origo elevationis sacrarum specierum post consecrationem?

Respondet Benedictus XIV, *sect. I, n. 269:* « Le Brun, *tom. I, p. 476,* ostendit ab initio usque XII sæculi Presbyteros con-

suevisse post finem Canonis, ubi ad ea verba pervenissent, *omnis honor et gloria*, Hostiam et Calicem elevare, quam nunc secundam seu parvam appellamus elevationem ; eam vero quæ nunc fit post consecrationem ideo esse introductam, ut signum catholicæ Fidei adversus Berengarii hæresim ederetur, qui vel realem Christi in Eucharistia præsentiam, vel panis conversionem in Corpus Christi negavit, ut videre est apud Witasse... » Ben. XIV, *sect. I, n. 269*. Cs. Merati, *n. 22*, Fornici, etc. De parva elevatione dicitur infra suo loco.]

§ 5.

QUARTA PARS CANONIS.

Q. 1. *Ubi incipit pars quarta Canonis?*

R. Ab illa oratione : *Unde et memores Domine*, etc.

Q. 2. *Quousque vero illa se extendit?*

R. Usque ad *Memento etiam Domine*, exclusive.

Q. 3. *Quo respicit initium hujus orationis :* Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta?

R. Ad prædicta Christi verba : *Hæc quotiescunque feceritis*, etc. Quasi dicamus : hoc ergo præceptum Filii tui observantes, o Domine, offerimus tibi hoc Sacrificium in gratam memoriam et propositum imitationis Passionis, Resurrectionis et Ascensionis ipsius. In memoriam, inquam, *Passionis*, quæ totius mundi peccata delevit : in memoriam *Resurrectionis*, quia surrexit propter justificationem nostram et vitam resurgendo reparavit : in memoriam *Ascensionis*, quia per eam nobis viam ascendendi in cœlum patefecit. Cumque prædicta verba dicimus, merito debemus cavere hypocrisin et mendacium, in quod incideremus, si interim de his nihil cogitaremus.

Q. 4. *Quid intelligere debemus per illa verba*, et plebs tua sancta?

R. Non solum Sacrificio assistentes, sed universam Christi Fidelium multitudinem, ubicumque consistat; quæ benedicitur *Sancta*, quia fide Christi et Baptismo sanctificata.

Q. 5. *Cur dicitur*, tam beatæ Passionis?

R. Quia sine peccato suscepta, totius mundi peccata delevit. *Florus*.

Q. 6. *Ad quid referuntur verba sequentia*, de tuis donis ac datis?

R. Referri possunt ad panem et vinum, ex quibus fit Eucharistia, ut sensus sit : Offerimus tibi Hostiam puram ex creaturis tuis a te datis et donatis, pane scilicet et vino consecratam. Innocent. III. *lib. 5. cap. 3. de Mysteriis Missæ.* Possunt etiam referri omnia ad Eucharistiam, sive ad Christum in Eucharistia existentem : rectissime enim dicitur Christus Dei datum et donum. Sic enim loquitur Isaias cap. 9 : ***Filius datus est nobis;*** et ipse Christus, Joann. 3 : ***Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*** Bellarm. *lib. 2. cap. 24. de Missa.* Utrovis casu ad humilitatem pertinet, qua profitemur nos non habere aliquid Deo gratum, nisi ab ipso acceperimus. Ideo quæ de manibus ejus accepimus, reddimus ei. Porro donum et datum sæpe sunt synonyma ; tamen si accipiantur ut distincta : ***Donum*** est, quod aptum est dari gratuito ; ***Datum,*** quod gratuito donatur vel donatum est actu.

Q. 7. *Cur dicitur,* Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, *cum una tantum sit Hostia?*

R. Florus : Trina repetitio, tanti myste-

rii est laudatio. Addo, *Hostiam puram, sanctam, immaculatam*, accipi dupliciter: I. *in se;* et ea ratione monemur, ut et nos vere puri et sancti illam offeramus et manducemus. II. *effective;* quia videlicet, nos puros, sanctos et immaculatos efficit.

Q. 8. *Quare Sacerdos dicens*, Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, *super Eucharistiam benedictam et plenissime consecratam, adhuc imprimit signum Crucis?*

R. Innocentius et Alexander de Ales: Hæc signa non pertinere ad consecrationem jam perfectam, verum ad Passionem Christi recolendam. Et, ut dicit Stephanus Eduensis *de Sacramento Altaris cap. 17*. et Florus *in exposit. Missæ:* quinarius numerus Crucis fit super Hostiam et Calicem, non ut eum, a quo omnis sanctificatio est, sanctificemus; sed ut Vulnera pendentis in Cruce, duo manuum, duo pedum, quintum lateris flebiliter et devote recolamus.

Q. 9. *Quid intelligitur per* Panem vitæ æternæ et Calicem salutis perpetuæ?

R. Intelligitur panis non vulgaris, ut ante

consecrationem, sed panis, qui de cœlo descendit, et qui dat digne sumentibus vitam æternam, Christi, inquam, Corpus sub speciebus panis : et similiter non intelligitur calix vulgaris, sed cujus salutifero haustu communicanti confertur salus perpetua. Nam, *qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem,* ait Christus Joann. 6, *in me manet et ego in illo.*

Q. 10. *Cur dicitur,* Supra quæ, *cum una tantum sit res, ad quam spectat utrumque quod præcessit?*

R. Juxta modum loquendi, ad eas, quæ apparent, species diversas fit relatio, non ad ejus, quæ absconditur, substantiæ veritatem.

Q. 11. *Cum oblatio consecrata semper Deo placeat, cur petimus, ut* Deus super eam propitio ac sereno vultu respicere dignetur et acceptam habere?

R. Etsi ea ex parte rei, quæ offertur, et ex parte Christi principalis offerentis, semper Deo placeat; tamen ex parte ministri, vel populi astantis, qui simul offerunt, potest non placere. Ideo petimus, ut Deus benigne respiciat hoc munus, ut a nobis offertur.

Simile quid cerni potest in Sacrificiis veterum Hebræorum : illi enim suppliciter postulabant, ut clementer Deus ipsorum Sacrificia ovium et boum aspiceret, obsequium scilicet suum in illis rebus offerendis Deo gratum esse cupientes.

Q. 12. *Estne differentia inter* propitio ac sereno vultu respicere, et accepta habere?

R. Non videtur, sed unum per alterum exponitur. Illa enim Deus propitio ac sereno vultu respicit, quæ habet accepta.

Q. 13. *Cum Sacrificium nostrum infinitis modis sit dignius et acceptabilius omnibus aliis Sacrificiis, etiam Abelis, Abrahæ et Melchisedech, cur illis comparatur?*

R. Non comparatur absolute, sed tantum ratione fidei et devotionis offerentium. Id enim optamus, ut det nobis Deus tanta fide et devotione Sacrificium offerre, quanta Abel, Abraham et Melchisedech obtulerunt, et proinde ut ex parte ministri offerentis non minus placeat Deo Sacrificium nostrum, quam illorum placuit; et sicut illorum Sacrificia, quæ horum figuræ tantum fuerunt, sibi accepta declaravit; ita per salutarem fructum,

quem petimus his Sacrificiis obtinendum, ea sibi grata esse declaret. Porro illa tam celebria Sacrificia commemoramus, ut interea crescat nostra fides, et devotio per suavem applicationem veritatis ad suum signum. Hic est enim vere primogenitus totius gregis Dominici, adipe pinguedinis et oleo gratiæ Spiritus Sancti in tantum unctus, ut de plenitudine ejus omnes acceperimus, quem significabat Sacrificium Abelis offerentis de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum. Hic est verus Isaac, risus et gaudium Patris, in quo Patri cœlesti bene complacuit, qui lignum, in quo sacrificandus erat, ad montem Calvariæ portavit : Cujus divinitas impassibilis fuit, sed humanitatis aries inter vepres hærens immolatus fuit. Hic verus panis animæ et vinum lætificans Deum et homines, typis Melchisedech præfiguratum.

Q. 14. *Cur Abel vocatur* Puer?

R. Non ab ætate, sed a puritate et simplicitate. *Alcuin*. Imo non vocatur *puer* absolute, sed puer Dei ; quia servus ejus et filius adoptivus ; quomodo in Evangelio dicitur : *Pueri numquid pulmentarium habetis?* Et

apud Isaiam : *Ecce ego et pueri mei.* Idem Abel *justi* titulo honoratur ab ipsomet Christo *Matth. 23.* et a divo *Joanne Epist. 1. cap. 3.* dicuntur opera ipsius fuisse *justa.*

Q. 15. *Cur Abraham dicitur* Patriarcha noster?

R. Quia est Pater omnium secundum fidem, imo et *Pater fidei.*

Q. 16. *Quo referuntur verba sequentia,* Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam?

R. Florus ait ea referenda non ad *munera Abel,* nec ad *Sacrificium Abrahæ* vel *Melchisedech,* sed ad præcedentia, *Supra quæ,* etc. ut sensus sit : *Supra quæ,* nempe, *sanctum* hoc *Sacrificium, immaculatam Hostiam, respicere digneris.* Est quidem inter ea magna interjectio, sed ea, inquit, subinde orationis extollit magnificentiam et sermoni magnam addit gravitatem. Attamen dici quoque posset, *sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam,* referri ad *sacrificium Melchisedech,* cujus immediate ante fit mentio. Vere namque illud dicitur *sanctum Sacrificium, immaculata Hostia,* quia fuit

typica et expressissima imago Sacrificii Eucharistici, sanctissimi et immaculatissimi. Et hic sensus videtur contextui Canonis convenientior. Nihilominus, cum dicta verba, *sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam*, addita sint sacro Canoni per Leonem primum Papam (Strabo *loco supra citato, cap. 22.* et Breviarium Romanum *XI Aprilis*); est probabilius, S. Pontificem hanc additionem faciendo respexisse potius ad veritatem, quam ad figuram.

Q. 17. *Dum dicitur :* Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, *quis est iste Angelus?*

R. Secundum nonnullos est ipse Christus, qui est magni Consilii Angelus, et nostri Sacrificii principalis offerens : secundum alios est Angelus noster tutelaris, aut alius Sacrificio assistens. Juxta quem posteriorem sensum verosimiliter fit allusio ad Angelum Apocalypticum, de quo Joannes ait cap. 8. *Angelus venit et stetit ante Altare, habens thuribulum aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante thro-*

num Dei : et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Vel fit allusio ad Angelum *Judicum 13.* hortantem Manue ad offerendum Deo holocaustum : *cumque ascenderet flamma Altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit :* quodammodo a petra et ara humili Sacrificium Manue perferens in sublime Altare cœleste.

Q. 18. *Quomodo intelligenda sunt hæc verba :* Jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime Altare tuum?

R. Non tam crasse, ut existimemus in cœlo aliquod corporale et sensibile erectum esse *Altare,* atque ad illud reipsa et corporaliter Sacramenta Corporis et Sanguinis Domini manibus Angelorum transferri : *Altare* tamen aliquod, spirituale videlicet, in cœlo esse nemo negare potest, qui Scripturas negare noluerit. Siquidem Apocalypsis sæpius facit mentionem Altaris in cœlo : illudque cap. 8 et 9. dicitur *Altare aureum, quod est ante thronum Dei et ante oculos Dei.* Porro Altare illud cœleste Christum ipsum significat, per quem ad Deum orationes nos-

træ ascendunt. Vel certe *Altare* dicitur esse in cœlo, quia in cœlo recipiuntur Sacrificia, quæ Deo vero immolantur in terris. *Perferri* autem Sacrificia nostra ad Deum *per manus Angeli,* nihil est aliud, nisi Angelica intercessione juvari et commendari Deo nostrum obsequium et cultum, quem per Sacrificium Missæ illi exhibere desideramus. Non est dissimile quod legimus *Tob. 3 et 12.* et *Apoc. 5 et 8.* orationes nostras ab Angelis deferri ad Deum, eique offerri. Neque enim Angeli voces et verba nostra sensibilia sursum deferunt, Deoque offerunt; sed vota et desideria nostra intercessione sua Deo commendant. Interim notandum, quod de præsentia Angelorum circa Sacram Eucharistiam ait S. Gregorius *lib. 4. Dialogorum cap. 58: Quis,* inquit, *Fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summa imis sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex invisibilibus et visibilibus fieri?*

Q. 19. *Cur dicitur* in sublime Altare tuum?

R. Non ideo tantum, (juxta Isidorum) quia *Altare* est *alta ara*, sed quia per Altare, ut dictum est, significatur Christus sublimis et altissimus, qui Sacrificii nostri est principalis Offerens, Hostia et Altare primarium.

Q. 20. *Cur ad hæc verba*, quotquot ex hac Altaris participatione, *osculum Altari imprimitur?*

R. Ad significandum desiderium, quod pii quique merito habere debent ad Sacrosanctam Communionem, Altaris nomine significatam : quemadmodum se salutantes mutuum erga se desiderium osculo solent contestari. Sane efficacissimus modus attrahendi ad se virtutem Sacrificii, est sumptio ipsius Sacramenti.

§ 6.

CANONIS QUINTA PARS SIVE ORATIO.

Q. 1. *Quid agitur in quinta oratione Canonis?*

R. Oratur Deus, ut fidelibus Defunctis, quos specialiter commendatos habemus, et omnibus aliis, *qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis, lo-*

cum refrigerii, lucis et pacis indulgeat, per Christum Dominum nostrum. Et merito pro iis tanquam fratribus et commembris, ac filiis Dei de hæreditate regni cœlestis jam securis, etsi in gravibus adhuc afflictionibus et purgatoriis pœnis constitutis, quanta possumus animi intentione ac devotione orare nos decet, eoque magis, quod ab iisdem propediem mire exaltandis inter Beatos, mutuam vicem in afflictione simili, aut alia quavis necessitate constituti expectare debeamus.

Q. 2. *Quid intelligis per* signum Fidei?

R. Intelligitur Baptismus, seu character, qui in Baptismo imprimitur. Nonnulli tamen intelligunt Spiritum Sanctum, quem Apostolus signum nominat Ephes. 1. cum dicit *signatos esse Spiritu promissionis Sancto*. Id tamen quod dixi de Baptismo, verius videtur. Si enim per *signum Fidei* intelligeretur Spiritus Sanctus, videretur superfluum id quod additur: *et dormiunt in somno pacis*. Recte autem id additur, si per *signum Fidei* intelligamus Baptismum, quia non omnes post Baptismum defuncti Sacrificiis et orationibus nostris juvari possunt, sed ii tantum, qui et

baptizati sunt, et in charitate obierunt, atque ita *dormiunt in somno pacis*, expectantes in pœnis purgatoriis migrationem suam ad beatam æternitatem. *Somnus* enim *pacis* mors est temporalis in gratia, quæ pacem inter nos et Deum facit.

Q. 3. *Si fideles defuncti* in Christo quiescunt et dormiunt in somno pacis, *ut hic dicitur, cur iis petimus* refrigerium et pacem?

R. Pacem illi quandam et quietem habent a tormentis et a desiderio visionis divinæ. Sic itaque *in somno pacis* requiescunt, ut adhuc refrigerio et pace indigeant.

Q. 4. *Quid intelligitur per* locum refrigerii, lucis et pacis?

R. Non aliud quam æterna beatitudo. Ea enim vere est *locus refrigerii*, quia libera ab omni æstu pœnarum. Vere est *locus lucis*, quia in ea Deus, qui est lux, et in quo tenebræ non sunt, facie ad faciem videtur. Vere est *locus pacis*, eo quod omnis inde seclusa sit adversitas tam corporis, quam animæ, et nihil quod pacem turbet, possit introire. Itaque ter idem repetitur, et ita concluditur quinta oratio Canonis.

§ 7.

SEXTA ET ULTIMA PARS CANONIS.

Q. 1. *Quomodo intelligenda sunt prima verba sextæ ejusdemque ultimæ partis Canonis,* Nobis quoque peccatoribus?

R. Florus dicit, totius Ecclesiæ vocem esse. Alii Sacerdotis et astantium, qui simul cum Sacerdote obtulerunt. Rursus alii dicunt, vocem esse solius Sacerdotis, qui sane quemadmodum et pro aliis, ita et pro seipso debet offerre. Hebr. 5.

Q. 2. *Cur Sacerdos ultimo loco sui meminit?*

R. Non quasi de se præsumens, alios magis existimet oratione indigere, sed ex humilitate potius, utque post exhibitum aliis omnibus tam vivis, quam defunctis charitatis officium, acceptior fiat Deo ipsius pro seipso oratio.

Q. 3. *Cur Sacerdos se peccatorem nominat, cum certum sit, quod Deus peccatores non exaudit?*

R. Peccatores in peccatis manere volentes, a Deo non exaudiuntur: at bene peccata sua detestantes et ad meliorem vitam aspirantes.

Imo tum maxime Deo placemus, si Deo nos miseros peccatores confitemur cum Latrone in Cruce dicente : *Nos digna factis recipimus,* et quando cum Publicano nos reos agentes pectora tundimus. Fit autem hic *tunsio pectoris* tribus inferioribus et ultimis digitis, ne index et pollex juncti tangant Planetam. Gavantus *loco supra citato, part. 2. tit. 9.*

Q. 4. *Cur Sacerdos dicens :* Nobis quoque peccatoribus, *vocem paululum extollit et clara voce ea pronunciat?*

R. Ut ex gemitu cordis in silentio procedat oris confessio. Steph. Eduensis *de Sacramento Altaris, cap. 17.*

Q. 5. *Quis est sensus verborum subsequentium,* de multitudine miserationum tuarum sperantibus?

R. De multitudine miserationum Dei speramus, quando multiplicem miseriam nostram agnoscentes, unius et simplicis misericordiæ multiplicem effectum petimus, sicut petiit David Ps. 50. *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*

Q. 6. *Cur* partem cum Sanctis, *et non*

illud ipsum totum, quod ipsi jam possident, nobis donari rogamus?

R. Scimus quod plenariam perfectionem habebimus, si beati erimus; sed partis nomine eam appellamus, humiliter agnoscentes quod illis Sanctis, quorum nomina sequuntur, coæquari non meremur, sed inter multas mansiones domus Dei, illis digniores debeantur quam nobis. Vel dicendum cum Alcuino nos *partem aliquam cum Sanctis* petere, ut *qui* in hac vita *dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum*, Coloss. 1, idem misericordia sua et gratia efficiat, ut cum iisdem Sanctis portio nostra sit in terra viventium; et quibus nunc sociamur per communionem fidei et quorum memoriam veneramur, cum ipsis etiam societatem vitæ et beatitudinis æternæ in futuro assequamur. Accedit quod Sacra Scriptura per *partem cum Sanctis*, describit omne bonum et felicitatem. Bellarm. *loco supra citato, cap. 26*.

Q. 7. *Cum ante consecrationem facta fuerit commemoratio Sanctorum, cur jam fit iterum?*

R. Antea facta fuit ad invocandum patro-

cinium eorum; petivimus, inquam, eorum meritis et precibus adjuvari : hic petimus eorum societatem et consortium.

Q. 8. *Quis* Joannes *hic nominatur?*

R. Innocentius, et quidam alii putant, Joannem Evangelistam ante nominatum hic iterum nominari, quia fuit Apostolus et virgo, Sed Walfridus *c. 22.* dicit hic nominari Joannem Baptistam, qui et Martyr Domini fuit, et aliquo modo Apostolus, juxta illud Joannis 1 : *Fuit homo missus a Deo.* Et hæc sententia videtur verior, ob id vel maxime, quod B. Virgo Maria semel tantum nominetur, et bis potius quam Joannes nominari deberet, quia fuit Virgo virginum plus quam Martyr et Doctrix Apostolorum.

[S. R. C. decreto *27 Martii 1824, n. 4452. 2,* constat hic nominari S. Joannem Baptistam.]

Q. 9. *Cur Stephanus Mathiæ Apostolo præponitur?*

R. Quia servat hic Ecclesia ordinem passionis, non dignitatis. Prius autem passus Joannes quam Stephanus, et prius Stephanus quam Mathias. Unde et constat hic non

nominari Joannem Evangelistam, quia is non præcessisset Stephanum et Mathiam.

Q. 10. *Quare Mathias non est nominatus ante consecrationem cum aliis Apostolis?*

R. Ut esset aliquis Apostolus ex duodecim in hoc secundo ordine, ac vere dici posset: *cum Apostolis et Martyribus* : et quia Mathias non fuit Apostolus ante Passionem Domini, neque legitur in ordine Apostolorum in Evangelio. Non obstat, quod Paulus quoque non fuerit Apostolus ante Passionem Domini, neque in Evangelio nominetur, et tamen in priori ordine censeatur : nam id est Pauli privilegium, ut semper Petro conjungatur.

Q. 11. *Estne aliud considerandum circa Sanctos et Sanctas hic nominatos?*

R. Sunt qui notant hic nominari octo viros Martyres et septem feminas, ut ad octo beatitudines, per septem dona Spiritus Sancti perveniatur. Sed magis considerandum puto, quod inter septem feminas, omnes Martyres, duæ conjugatæ non virgines, scilicet Felicitas et Perpetua, et quinque virgines, ac inter has duæ viduæ nominentur, scilicet Cæcilia, de qua nemo ambigit, et Anastasia, juxta Me-

taphrastem, Jacobum de Voragine et alios; ut sic omnes tam conjugatæ, quam virgines et viduæ, Patronas in Canone habeant, quas colant, invocent ac imitentur.

Q. 12. *Cur dicitur :* non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte?

R. Si merita nostrorum operum secundum rigorem justitiæ suæ librare velit in lance æquitatis suæ Judex justus, nemo stare poterit in conspectu ejus : et ideo meritorum nostrorum fiduciam dimittentes, ad veniam confugimus misericordiæ ejus. Vel unum per alterum exponitur, ut videlicet significetur Deum non reddere electis juxta mala eorum merita, sed quod ea deleat ac veniam largiatur : quæ magna bonitatis Dei laus est, et quod ad ejus captandam gratiam hic dicitur.

Q. 13. *Quomodo intelligenda quæ sequuntur,* per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, *etc.?*

R. Hic commemorantur omnia beneficia divina circa hoc Sacramentum, inchoando a prima productione materiæ, unde illud conficitur. Itaque dicimus a Deo per Christum hoc Sacramentum ratione materiæ *primo*

creari, cum panis videlicet creatur; *secundo* sanctificari, cum dedicatur per primam oblationem ad Sacramentum conficiendum; *tertio* vivificari, cum efficitur mysterium vitæ, et in verum Corpus Christi, et in ipsum Christum qui est vita nostra, convertitur per consecrationem : *quarto* benedici, cum omnis benedictionis effectum recipit, ut scilicet sacramentali efficacia caput cum membris uniat : *quinto* denique nobis præstari, cum ad sumendum, ut ex eo vitam hauriamus, datur. Alcuinus et Hugo *de Officiis divinis, cap. 36*.

Q. 14. *Quid significant ultima verba ultimæ partis Canonis,* per ipsum, et cum ipso, et in ipso, *etc.?*

R. Videtur hæc verba Sacerdos potissimum dicere ad excitandam et inflammandam fidem suam, quam ante sacram Communionem maxime vivam esse decet; q. d. licet hæc sensibus nostris tantum videantur esse nudæ substantiæ panis et vini; tamen, o Pater cœlestis, hic eumdem esse fatemur, *per quem* tamquam verum Mediatorem Dei et hominum, *cum quo* tamquam æquali, et *in quo* tamquam consubstantiali, *est tibi in unitate Spiritus*

Sancti omnis honor et gloria. Severianus et Florus *in exposit. Missæ.* Atque in signum reverentialis hujus protestationis Fidei nostræ, ad extremum levatur species panis una cum Calice, ad hoc, ut omnes circumstantes Sacerdoti sic fidem suam excitanti, conforment seipsos simili reverentia et fide. Hæc porro omnia et totum Canonem Sacerdos alta voce concludit, dicendo : *Per omnia sæcula sæculorum*, volens populo dare occasionem pie approbandi et comprecandi omnia prædicta per verbum, *Amen.*

[Q. 15. Quid significant Crucis signa quæ fiunt ad prædicta verba?

R. Juxta s. Thomam, *p. 3. q. 83. a. 5,* tria Crucis signa quæ ab una ad alteram oram Calicis ducuntur ad illa verba, *per ipsum, et cum ipso, et in ipso*, tres significant horas, quibus Jesus a sexta ad nonam pependit in Cruce. Duobus vero quæ fiunt extra Calicem, innuitur animæ separatio a corpore. Cf. Ben. XIV, *sect. I, n. 311,* ubi, præter S. Thomam, alii scriptores citantur.

Q. 16. *Quomodo olim fiebat elevatio ad verba,* omnis honor et gloria?

R. « Ante sæculum duodecimum ad sola verba, *omnis honor et gloria*, nec prius ostendebatur Corpus Christi simul cum Calice populo circumstanti ad adorationem. Calicem ergo simul cum Hostia Sacerdos sublevabat in altum, ut populus videret et adoraret. Ex quo autem usus invaluit elevandi Corporis Christi, ac deinde Calicis statim post peractam consecrationem, minus solemnis hæc altera Calicis et Corporis elevatio plerisque in Ecclesiis fuit; nec jam Sacerdos sic elevat Calicem, ut a populo circumstante videri possit. » Ita Poujet a Bened. XIV cit. *sect 1. n. 312.*]

CAPUT V.

DE IIS, QUÆ CANONEM SUBSEQUUNTUR USQUE AD SUMPTIONEM.

§ 1.

ORATIO DOMINICA.

Q. 1. *Ad quid verba præambula :* Præceptis salutaribus moniti, *etc.*?

R. Ad excusationem ejus quasi temeritatis et arrogantiæ, qua nos servorum Dei nomine indigni, ipso statim orationis ingressu, divinam Majestatem Patrem appellare audemus. Neque enim præsumptio est ita facientis, ubi authoritas est jubentis. Porro præcepta ista salutaria, divinaque institutio habentur *Matth*. *6*. His consideratis, pius Sacerdos vilitatis suæ, et indignitatis conscius, merito cum Carolo Capellio exclamet : ***Nihil ita stupet cœlum, pavet terra, expavescit universa creatura, quam quod servus Dominum Patrem vocat, judicem suum reus Genitorem nuncupat, conditio terrena sua se voce Dei adoptat in filium.***

Q. 2. *Quid per nomen Patris hic intelligitur?*

R. Nomen Patris acceptum notionaliter et personaliter, convenit soli primæ Personæ respectu secundæ in divinis. Acceptum vero essentialiter ut hic, est commune nomen tribus personis divinis, ac convenit Deo respectu creaturarum, quas producit, conservat et gubernat, et specialiter respectu creaturarum rationabilium, quas per gratiam adoptat

in filios et hæredes vitæ æternæ. Unde dicitur *Deut.* 32. *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?*

Q. 3. *Cur Deum appellamus* Patrem?

R. Multis de causis. *Primo,* quia creavit nos ad imaginem et similitudinem suam. *Secundo,* quia nos ab initio vitæ nostræ paterna sollicitudine, et cura prosecutus est, spiritualiter et corporaliter, in gremio S. Ecclesiæ Catholicæ enutriens, et ab infinitis animæ et corporis malis præservans, et sæpe vitio nostro perditos, animo paterno quærens, et ad se reducens. *Tertio,* quia sicut terreni patres filiorum exaltationi studere, et iis ut hæredibus thesaurizare solent; ita nos Deus non terreni regni, aut totius etiam mundi, sed sui ipsius, Regni cœlestis, et omnium quæ in eo sunt, hæredes fecit.

Q. 4. *Cur Christus primam vocem hujus orationis esse voluit,* Pater?

R. Ob duas potissimum causas, quarum *prima* est gratiarum actio, teste Cypriano: Illa enim justa est ratio orandi, ut cum David Ps. 17. *Laudantes invocemus Dominum,* id est, alia petituri, quæ jam habemus, dona

Dei esse, grate agnoscamus. *Altera ratio,* ut moneamur cum fiducia petere. Neque enim major potest haberi fiducia, quam quæ est filio de suo patre.

Q. 5. *An, qui non est* filius *Dei per bonam vitam, posset hanc orationem dicere, et Deum* Patrem appellare?

R. Quod sic, dummodo habeat bonam voluntatem cum filio prodigo dicente: *Surgam, et ibo ad Patrem meum.* Deinde quilibet potest eam recitare nomine Ecclesiæ.

Q. 6. *Quare dicimus* Pater noster?

R. Ut doceamur omnes homines, beatitudinis capaces, fratres nostros æstimare, et pro omnibus rogare, sic ut neminem ab oratione nostra excludamus, quamvis ordo charitatis requirat de nobis ipsis et iis, quibus majori necessitate constringimur, particularius et cum majori affectu cogitare.

Q. 7. *Cur dicimus:* Qui es in cœlis?

R. His verbis monemur nostrum cogitatum et mentem sublevare, ubi faciem suam ostendit, quem alloquimur, ut sit attenta oratio, dum mens a terrenis avulsa cœlestia cogitat.

Q. 8. *Quid rogamus septem petitionibus hujus orationis?*

R. Ante omnia petimus, ut Nomen Dei sanctum agnoscatur, laudetur, magnificetur, ejusque Majestas, et bonitas ab omnibus honoretur, benedicatur et superexaltetur. Et quia id perfecte in hoc mundo fieri non potest, petimus regnum ejus et vitam æternam, in qua illi ad nutum omnes Sancti obsequuntur, et a laude ejus nunquam cessabunt. Porro, ut regnum ejus nobis adveniat, petimus media ad id necessaria, et in primis gratiam faciendi ejus voluntatem et exequendi mandata. *Nec enim omnis qui dixerit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris cœlestis.* Deinde petimus victui necessaria, et quæ ad sustentationem nostram requiruntur, cibum scilicet tam animæ, quam corporis : *Nec enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,* et ex pane vivo, qui de cœlo descendit, et mirifice cum corpus, tum animam reficit, fovet, alit, sustentat. Post hæc rogamus tria malorum genera, quæ sanctificationem Nominis Dei, adventum regni cœ-

lestis et media ad illud impedire possent, a nobis dimoveri; scilicet peccata, tentationes, quibus succumberemus, mala pœnæ, afflictiones, concupiscentias et auctorem mali diabolum.

Q. 9. *Cur Sacerdos post* Orationem Dominicam *dicit secreto* Amen?

R. Quia nos latet, an exaudiamur, et Deus vult nos id latere, ne torpeamus.

§ 2.

ORATIO : *Libera nos quæsumus Domine,* etc.

Q. 1. *Cur Sacerdos post* Pater noster, *resumit orationem Ministri, qui dixerat :* Sed libera nos a malo?

R. Ad affectum et pium desiderium inflammandum, et ideo etiam id quod repetit, pluribus exponit dicendo : *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus et futuris.*

[« Sacerdos hic, juxta expositionem Soti, tertio ad silentium revertitur, ut numerum silentiorum Christi compleat, quando in horto ut dicitur Matth. XXVI, *iterum abiit*

et oravit tertio. » Cav. *tom. V. c. 22, n. 5.*]

Q. 2. *Cur Deum, quem in oratione Dominica* Patrem *vocamus, in hac* Dominum *appellamus dicentes :* Libera nos, quæsumus, Domine?

R. Quia videlicet, qui illud ex divina authoritate præsumimus, hoc ex debito nostræ servitutis offerimus. In illa nos Patris filios gratia, in hac Domini servulos profitemur natura.

Q. 3. *Quid intelligis per* præterita *mala?*

R. Culpas, quarum adhuc reatum timemus. Et bene ab iis petimus liberari juxta Scripturam dicentem. *Fili, peccasti? ne adjicias iterum : sed et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur. Eccli. XXI. 1.*

Q. 4. *Quid per mala* præsentia *intelligis?*

R. Peccata ignota, in quorum affectu possumus esse, et cum quibus adhuc luctamur, et miserias ex peccatis ortas, quibus affligimur.

Q. 5. *Quid intelligitur per mala* futura?

R. Peccata quorum pericula imminent, et eorum simul et præcedentium peccatorum supplicia, et quæcumque accidere possent saluti et paci contraria.

Q. 6. *Cur intercedentibus Sanctis pacem dari petimus?*

R. Humilitatis est, sibi semper diffidere, et Sanctorum patrociniis jugiter inhærere.

Q. 7. *Cur inter Sanctos, quorum omnium suffragium hic postulatur, speciatim nominantur B. Virgo, SS. Petrus, Paulus et Andreas?*

R. Quia omnium calculis B. V. Maria est excellentissima omnium Sanctorum, et ejus animam pertransivit doloris gladius, dum stetit juxta crucem Christi. S. Petrus princeps Apostolorum crucifixus est. S. Paulus vas electionis et Doctor Gentium, plus omnibus laboravit, et stigmata Christi in suo corpore portavit. Et Sanctus Andreas primus vocatione inter omnes Apostolos Petrum ad Christum adduxit, et Crucis, quæ in hoc mysterio celebratur, desiderantissimus, in eadem mortuus est.

Q. 8. *Cur Sacerdos dicit :* Da propitius pacem?

R. Quia non est quod pacem expectemus, nisi propitiatione Deus erga nos utatur.

Q. 9. *Quam pacem intelligit?*

R. Respicit ad duplicem pacem, nempe animæ et corporis, quam explicant sequentia verba, *ut a peccatis simus semper liberi* (quod fit per pacem animæ), *et ab omni perturbatione securi* (quod fit per pacem corporis seu externam), *per eumdem D. N. J. C. Filium tuum*. Eamdem duplicem pacem orat Ecclesia sibi dari, dum dicit : *Da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem : ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.*

Q. 10. *Cur, dum præfatam orationem recitat Sacerdos, tenet inter indicem et medium digitum discoopertam Patenam, et quid per Patenam intelligitur?*

R. Videtur ea significari Christus, qui, ut rotundum quid fine ac principio carens, æternus est, habetque cor patulum charitate erga Deum Patrem et nos homines; quæ charitas

ejus etiam auro designatur, quo communiter Patena est obducta. Per hujus absconsionem sub velo in manu Subdiaconi a tergo stantis, vel in Missa minus solemni, sub Corporali; significatur sepultura Corporis Christi involuti sindone munda. Per detectionem vero et elevationem Resurrectio Christi significatur, postquam venit Discipulis suis annunciatum pacem, quam quidem, ut communicaturis plane necessariam, valde hic desiderat Sacerdos, et in hujus desiderii testimonium osculatur Patenam ad verba, *da propitius pacem in diebus nostris.*

Q. 11. *Cur dicit :* Da pacem in diebus nostris?

R. Non sic accipiendum, quasi Sacerdos pro se tantum, et iis, qui hodie sunt, sollicitus, non curet quid postea fiat, quomodo dixit Ezechias, 4. Reg. 20: *Sit pax in diebus meis.* Sed ita accipiendum videtur, ac si diceretur: *Da pacem*, dum super terram vivemus, viventque fideles tui. Dies enim nostri sunt, donec adveniet dies Domini seu judicii.

Q. 12. *Cur Sacerdos effingit signum Crucis ipsa Patena?*

R. Quia Christus nobis per Crucem suam hanc pacem est promeritus, dicente Apostolo ad Coloss. 1 : *Pacificans per Sanguinem Crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.*

§ 3.

FRACTIO HOSTIÆ.

Q. 1. *Quid per fractionem speciei panis significatur?*

R. Passio Christi.

[Hujusmodi fractio fit 1° ex usu antiquo, et quidem 2° ad imitationem Christi, et 3° etiam propter rationes mysticas de quibus quæst. 2 seq.

1° *Ex usu antiquo*. In Ecclesia occidentali « olim Hostia in tres dividebatur partes, quarum una immittebatur in Calicem, alteram manducabat Sacerdos, tertia, quia qui consecrabatur panis, major erat et latior quam quo nunc utimur, in plures frangebatur particulas, adstantibus vel infirmis communicandis; cujusmodi ritus etiamnum extant in Missa solemni Summi Pontificis quædam vestigia, et in Missa quæ celebratur in conse-

cratione Episcopi... » Ben. XIV, *sect. 1. n. 329.*

2° Ben. XIV. *l. c. n. 328* docet fractionem Hostiæ fieri ad imitationem Christi. « Dicimus primo, frangi Hostiam, quia Dominus Jesus in institutione Eucharistiæ accepit panem in sanctas manus suas, benedixit, fregit deditque Discipulis suis dicens : Hoc est Corpus meum, idque jussit Apostolos in sui facere memoriam. Proinde in Actis Apostolicis cap. II scriptum est fideles perseverare consuevisse *in communicatione fractionis panis,* et D. Paulus I Cor. X ait : *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* nullaque Liturgia est, in qua Hostiæ fractura non præscribatur. »]

Q. 2. *Quid significatur per fractionem ejus in tres partes, et unius demissionem in Calicem?*

R. Varia variorum sunt judicia, ut videre est apud Innocentium III. *lib. 6. de mysterio Missæ, c. 2. et 3.* et Gabr. Biel, *de Canone Missæ, lect. 80,* et alios. Eorum sententia non est improbabilis, qui dicunt, tres unius speciei partes significare tres unius naturæ

divinæ Personas; et per eam partem, quæ Sanguini miscetur, significari secundam in Divinitate Personam incarnatam, et in hanc lacrymarum vallem veluti in Calicem, qui Passionem significat, descendentem. Forte *probabilius est,* per fractionem speciei panis, in duas partes æquales, significari mortem Christi, seu separationem animæ ejus a corpore; per eam scilicet partem, quam Sacerdos dextera in Patenam demittit, significari descensum animæ ejus ad inferos; per alteram vero partem, quam Sacerdos sinistra manu nonnihil elevatam tenet, significari corpus Christi mortuum adhuc pendens in Cruce; et per particulam, quæ ex ea in Calicem immittitur, significari Sanguinem et aquam, quæ ex latere corporis mortui fluxerunt.

[« Plures rationes mysticas ss. Rituum Scriptores afferunt, cur Hostia in tres partes frangatur... Nos vero satis esse putamus, quæ hac de re scripsit D. Thomas, afferre Itaque *III part. q. 83 a. 5. ad 8,* sequutus Can. *Triforme de Consecrat. dist. 2,* act. s. Doctor Hostiam, quæ immittitur in Calicem

significare in Cœlo cum corpore et anima esse Christum, B. Virginem, et si qui alii Sancti cum corporibus sunt in gloria; partem, quam sumit Sacerdos, innuere ambulantes adhuc in terra, qui Sacramentis utuntur, et ita *passionibus conteruntur,* ut panis comesus dentibus atteritur; tertiam denique partem, quæ olim in Altari pro infirmis reservabatur, significare eos, quorum corpora usque ad judicii diem jacebunt in sepulcro, animæ vero sunt vel in Purgatorio vel in Cœlo.» Ben. XIV *l. c. n. 330.*

De particula, quæ in Calicem immittitur, sequentia etiam notanda veniunt cum Ben. XIV : « Actio hæc, inquit, particulam Hostiæ immittendi in Calicem, est plena mysterii. In Missa usque ad hanc, de qua loquimur, partem, Jesu Christi Passio et mors repræsentatur per Consecrationem Corporis et Sanguinis separatim factam, vi consecrationis sub specie panis Corpore Christi, et sub vini specie Sanguine subeunte : et quamvis separatio hæc tantummodo mystica sit, neque enim reipsa Corpus est sine Sanguine, nec Sanguis vicissim sine Corpore; tamen mystica hac separatione

Corporis a Sanguine, et Sanguinis a Corpore expresse Christi Passio et mors nobis repræsentatur. Reliquum erat, ut gloriosa exprimeretur Christi Resurrectio : neque id concinnius fieri poterat, quam si Hostiæ particula immitteretur in Calicem, atque ita Corpus iterum conjungeretur cum Sanguine, quod bene observavit Micrologus... Hujus actionis quidam originem referunt ad ritum exhibendi populo Communionem sub utraque specie... Nos vero profitemur, non alio ritum hunc immittendi in Calicem particulam Hostiæ referri, quam ad causam repræsentandæ Resurrectionis Christi... » Ben. XIV. *l. c. n. 334*. Cf. etiam n. 335, ubi explicatur oratio ***Hæc commixtio,*** etc.]

§ 4.

PAX DOMINI, ETC.

Q. 1. *Cur Sacerdos non contentus prævia pacis imploratione, dum dixit :* Da propitius pacem in diebus nostris, *immissurus partem **Hostiæ** in Calicem trina Crucis efformatione cum dicta **Hostiæ** parte super*

Calicem ait : Pax Domini sit semper vobiscum ; *et mox ter Agni Dei implorat misericordiam ad hanc pacem obtinendam ?*

R. Id fieri ob præstantiam pacis, quæ est omnis piæ actionis perfectio, et quam Ecclesia per Spiritum Sanctum edocta , et Sacræ Scripturæ præ omnibus virtutibus inculcant ut Deo gratissimam. Unde illud Ps. 75 : *Factus est in pace locus ejus ;* et 2. ad Cor. ultimo : *Pacem habete, et Deus pacis erit vobiscum :* et ad Hebr. 12 ; *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Christus quoque, *Princeps pacis* appellatus Isa. 9, veniens in mundum pacem hominibus bonæ voluntatis annuntiari jussit, et inde discedens , discipulos consolando, ait : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et vixdum resurgens, *Pax vobis,* ait : quam et tanti fecit, ut fraternam reconciliationem suo Sacrificio præferri jusserit, Matth. 5. et Ps. 33. Hac ratione demum ostendit Spiritus Sanctus aliquem ad vitam et dies bonos perventurum, si inquirat pacem, et persequatur eam. Pax autem cum omni tempore in nobis requira-

tur, maxime tamen omnium in sumptione sacræ Eucharistiæ, quæ idcirco etiam Synaxis dicitur, et consecrata est ex materia, quæ ex multis rebus antea diversis in unum coalescit.

Q. 2. *Cur ter efformatur signum Crucis inter dicendum,* Pax Domini sit semper vobiscum ?

R. Pacem, quam hic petit Sacerdos sibi et aliis, ante communionem necessariam esse triplicem : est et *pax hominis cum Deo,* quæ consistit in ordinata hominis ad Deum obedientia : est et *pax hominis ad seipsum* consistens in ordinata cognitionis actionisque concordia, qua, quod recta ratio dictat, efficaciter voluntas imperat : est et *pax hominis ad proximum suum,* quæ consistit in ordinata cum omni homine concordia, ut scilicet nulli noceat, et cui potest, prosit.

Q. 3. *Ad quid hic dicitur :* Et cum spiritu tuo?

R. Post orationem et salutationem Celebrantis, qua precatus est populo pacem Domini, idem populus reciproco benevolentiæ officio eamdem Dominicam pacem Sacrificanti

exoptat, dicens; *Et cum spiritu tuo,* scilicet sit pax Domini : quomodo et Apostolus dicebat in fine Epist. 2. ad Tim. : *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.*

§ 5.

HÆC COMMIXTIO ET CONSECRATIO, ETC.

Q. 1. *Quomodo intelligenda sunt ea quæ, dum immittitur particula Hostiæ in Calicem, orat Sacerdos, dicens :* Hæc commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat, *etc.?*

R. Primo : Pro dictionibus abstractis, videlicet *commixtio et consecratio,* intelliguntur concreta, ac si dicatur : hæc commixta et consecrata. *Secundo :* Quia sub speciebus sacramentalibus, quarum fit in Calice commixtio, verum Corpus Christi et verus Sanguis continetur, dicitur hic fieri commixtio rerum contentarum. Durandus *de Ritibus Eccles. lib. 2, cap. 52. num. 7.* Quemadmodum ratione specierum dicitur Corpus Christi videri, tangi et frangi; ita ratione earumdem specierum dicitur commisceri. Petitur itaque,

ut sumptio sacrosanctorum mysteriorum, in quibus Filius Dei quasi commixtus et unitus carni et sanguini naturæ humanæ sumitur, omnibus communicaturis sit salutaris.

Q. 2. *Nonne Julius Papa prohibuit hanc commixtionem, et ejus prohibitio habetur in decreto Can.* Cum omne, *de consecrat. distinctione, 2?*

R. Commixtio, quæ fit in Missa non prohibetur, nec a Julio Papa, nec in Jure Canonico; sed bene alia commixtio, quam scilicet nonnulli faciebant, cum populo Sacramentum Eucharistiæ porrigere volebant, quam et prohibet Conc. Bracarense 3, *Can. 1*.

§ 6.

AGNUS DEI, QUI TOLLIS, ETC.

Q. 1. *Dum ter repetitur* Agnus Dei, etc., *quid sub nomine* Agni, *contemplandum venit?*

R. Semel, contemplanda Christi innocentia, qua ut innocens agnus nemini unquam nocuit. *Secundo,* ejus mansuetudo, qua velut agnus coram tondente se obmutuit, nihil

amare proferendo. *Tertio*, ejus Passio, qua, ut igne agnus Paschalis, tostus est.

Q. 2. *Quomodo Christus* tollit peccata mundi?

R. Sacrificio Crucis; quia *Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato,* ut ait S. Joannes. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi*. Petimus autem per Sacrificium Missæ, vim Sacrificii Crucis nobis applicari.

Q. 3. *Cur in Missis pro Defunctis non dicitur,* Dona nobis pacem? *nec tabula deosculanda circumfertur, et omittitur oratio subsequens,* Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, pacem meam do vobis?

R. Quia nunc *dormiunt in somno pacis,* et sunt extra periculum inimicitiæ Dei vel secum vel cum proximo constituti: sed quia versantur in pœnis, precamur iis requiem.

Q. 4. *Cur audientes Missam se invicem non osculantur, ut olim fiebat?*

R. Verum est, quod olim se salutabant in osculo sancto; sed lasciviæ vitandæ causa id omissum, et ejus loco tabella pacis circumferri

consuevit. Imo et hoc ipsum quoque in multis locis non servatur propter disputationes de ordine osculationis et alias causas.

§ 7.

ORATIONES POST AGNUS DEI RECITANDÆ.

Q. 1. *Quomodo intelligenda sunt hæc verba :* Per mortem tuam mundum vivificasti ?

R. Per mortem Christi mundus vivificatus censetur, quia per mortem suam Christus promeritus est, ut electi, qui adhuc in mundana vita, id est, morte spirituali agebant, acciperent Spiritum vivificantem, id est, Spiritum Sanctum, qui tribuendo hominibus charitatem et remissionem peccatorum, animas vivificaret.

Q. 2. *Quomodo consideratur Corpus et Sanguis Christi in verbis subsequentibus :* Libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum : *an quatenus Sacrificium, an ut Sacramentum ?*

R. Tanquam Sacrificium et Sacramentum.

Q. 3. *Quomodo est intelligendum :* Libera me ab omnibus iniquitatibus meis?

R. Intelligendum est tam de reatibus præteritarum iniquitatum, ad quarum remissionem offero et sumo Sanguinem Agni, qui effusus est in remissionem peccatorum, quam de actibus præsentium, aut aliquando futurarum.

Q. 4. *Quomodo intelligendum :* Fac me tuis semper inhærere mandatis?

R. Idem est, ac si diceretur, fac me perseveranter tua implere mandata.

Q. 5. *Quomodo exponenda est tertia oratio quæ incipit :* Perceptio Corporis tui, *etc.?*

R. *Primo :* Ea majori attentione opus habet, quam expositione. *Secundo,* dum petit Sacerdos illud sibi probe prodesse ad tutamentum mentis et corporis, videtur respicere ad typum Agni Paschalis, *Exodi 12,* ubi jubentur filii Israel sanguine ejus aspergere superliminare, et utrumque postem, quo redderentur tuti ab Angelo percutiente, in signum quod effectus S. Eucharistiæ sit, liberare nos a spiritualibus et corporalibus flagellis. *Tertio* Sacerdos, dicendo *ad medelam percipiendam,* respicit ad Christum ut Medicum animarum nostrarum, et ad sanctam Eucharistiam, velut medicinam spiritualem. Hæc est enim ve-

rum lignum vitæ in medio novi Paradisi, *id est,* Ecclesiæ Catholicæ a Christo omnium restauratore constitutum, ut per eam sumamus antidotum contra omnes animæ morbos, quos per esum ligni vetiti conquisivimus. Hoc illud vinum est, quod pius Samaritanus vulneribus saucii infudit.

Q. 6. *Cur Sacerdos in manus sumpturus sacram Eucharistiam, dicit :* Panem cœlestem accipiam, et Nomen Domini invocabo?

R. Ad magis excitandam in se vivam fidem quæ in hoc mysterio fidei mire necessaria est.

§ 8.

DOMINE, NON SUM DIGNUS, ETC.

Q. 1. *Cur Sacerdos, assumpto Christi Corpore, inclinatus dicit et quidem ter :* Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, *et interim ter percutit pectus?*

R. Id ad imitationem fit Centurionis et Publicani, in signum humilitatis et veracissimæ agnitionis tum tremendæ Majestatis divinæ, tum propriæ indignitatis : et hæc vera sui cognitio gratissima semper fuit ei, qui cum sit *excelsus,* tamen *humilia respicit.*

Q. 2. *Ob quas causas debemus nos indignos judicare?*

R. Propter peccata præterita, propter abusum gratiæ hujus mysterii male conservatæ, propter negligentem præparationem ad rem tantam, propter præsentem tepiditatem et defectum Fidei, Spei et Charitatis. Et horum per ordinem meminisse expedit, dum ter dicitur : *Domine, non sum dignus.*

Q. 3. *Quid sibi vult id, quod sequitur,* tantum dic verbo, et sanabitur anima mea?

R. Idem est in effectu, ac si diceret Sacerdos: Agnosco, Domine, solius etiam verbi et jussus tui efficaciam, quo creasti omnia, quando dixisti et facta sunt : quo et tot homines tam corpore quam anima sæpe resuscitasti et sanasti. Ideoque te rogo, ut eodem modo sanes animam meam, auferendo quæcumque tibi in ea displicent et infundendo quæcumque me ad te digne suscipiendum habere decet.

Q. 4. *Cur deinde dicit :* Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, Amen?

R. Cupit nimirum sic custodiri animam suam per virtutem sacri hujus Corporis, id

est, totius Christi, ut permanens in vitæ puritate caveat recidivum in peccata, donec pertingat ad vitam æternam. Ut videlicet sit illi sacrum Corpus, tanquam medicina quædam præservativa, et tamquam panis confortans fragilia, et quoddam præsidium propellens adversa.

CAPUT VI.

DE SUMPTIONE ET RELIQUIS USQUE AD FINEM MISSÆ.

§ I.

COMMUNIO SACERDOTIS.

Q. 1. *Cur Sacerdos, dum sumit sacram Hostiam, utrumque cubitum super Altare ponit?*

R. Quia de meritis suis diffidens, Christo per Altare, ut dictum est, significato, ejusque misericordiæ innititur.

Q. 2. *Quid ipsa sumptio Corporis Dominici significat?*

R. Significare potest illius sepulturam; nos enim qui terreni sumus, continere debemus in nobis Corpus Dominicum, ut illud postea per mutatos nostros mores in nobis resurgat, dum aliam vitam vivendique rationem in omnibus viribus animi et corporis assumimus.

Q. 3. *Quid faciendum, dum sacra Eucharistia deglutitur?*

R. Quiescendum in meditatione sanctissimi Sacramenti; possetque Sacerdos utiliter occupari hac vel simili oratione: Ingredere, o pie Medice, infirmam animam meam, ut eam perfecte sanes, ac facias me virum secundum cor tuum. Posset quoque seipsum offerre Deo in holocaustum, eaque ratione et variis piis desideriis, internisque actibus ferventis devotionis et charitatis meliorare dispositionem, quam habuit tempore sumptionis sacræ Hostiæ; atque ita valde probabiliter in sumptione sacri Calicis, et postea, quamdiu species integræ manent in stomacho, accipere augmentum gratiæ sacramentalis. Coninck, *quæst. 79. de effectibus Venerabilis Sacramenti, art. 1. dub. 2. concl. 2. 3. 4. et 5.*

§ 2.

ORATIUNCULÆ SUMPTIONI CALICIS PRÆMITTENDÆ.

Q. 1. *Cur sumpta Eucharistia, mox dicit Sacerdos:* Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

R. Facit hoc in gratiarum actionem, et merito : neque enim S. Eucharistia in se tantum est excellens bonum, sed et excellentissimi beneficii, videlicet Passionis Christi, et amoris ejus erga nos est commemorativa. Unde dicitur Ps. 110 : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Igitur præ gratitudine de Christi amore in Passione ejus, et hoc Sacramento sibi exhibito, erumpit in hæc verba : *Quid retribuam Domino,* etc.

Q. 2. *Quomodo intelligenda sunt verba subsequentia :* Calicem Salutaris accipiam, et Nomen Domini invocabo?

R. Duplicem habent sensum, quorum nunc unus, nunc alter pro devotione cogitari potest. Prior est illi loco Ps. 115, unde verba de-

sumpta sunt, proprius : juxta quem intelligimur accipere Calicem, quando imitamur Passionem Christi, ut Matth. 20, *Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum?* ut sensus sit : In veram gratitudinem, ego imitabor Passionem Christi, amore ejus patienter ferendo quæcumque adversa, et per mortificationem mei ipsius quotidie ferendo Crucem Christi, idque tam prompte, quam istum externum Calicem Passionis ejus repræsentativum apprehendo et sumo : qua in re cum difficultatem invenero, *Nomen Domini invocabo.* Alter sensus est, ut simpliciter intelligatur præsens hic Calix sacrum Domini Sanguinem continens.

Q. 3. *Cum Dominus Deus vere sit Deus, id est, summum ac perfectissimum bonum, cui nos nihil retribuere possumus, cur hic dicitur :* Quid retribuam Domino?

R. Tunc ille aliquid sibi retributum existimat, quando nos bonorum capaces reddimus et iis bene utimur; unde dicit Jerem. 32: *Lætabor super iis, cum bene iis fecero.* Quare etiam Chrysostomus eum comparat matri habenti turgentia lacte ubera, quæ bene

sibi fieri existimat, quando infantem offendit suum lac sugentem. Hac ergo Dei bonitate ob oculos habita, facile est videre, quam apte hæc verba sequentibus cohæreant : quasi scilicet Sacerdos diceret ; non habeo quod retribuam ei, qui bonorum omnium est fons ; sed quoniam pro omnibus, quæ retribuit mihi, nihil exigit, quam ut his grate utar, ecce hunc *Calicem salutaris accipiam,* et licet non satis dignus, tamen *Nomen Domini invocabo,* ut videlicet meæ infirmitati compatiens, eum mihi faciat salutarem.

Q. 4. *Quis est sensus subsequentium verborum :* Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero?

R. Hic esse videtur : Laudans de præteritis beneficiis et maxime de Passione ejus, invocabo Dominum, ut per dignam hanc communionem, eorum et omnium Dei beneficiorum particeps reddar, et sic Christo per communionem unitus, *ab inimicis meis salvus ero,* sive illi affligendo sive blandiendo tentent.

§ 3.

ORATIUNCULÆ AD PURIFICATIONEM ET ABLUTIONEM DICENDÆ.

Q. 1. *Quomodo in subsequente oratiuncula,* Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus; *intelligendum hoc verbum* capiamus?

R. Sacramentum, quod secundum species ore corporali sumpsimus, pura mente recipiamus, quoad gratiam, et alios spirituales effectus. Vel capiamus, id est, habeat locum in nobis, ita ut non excludamus illud peccatis et passionibus nostris inordinatis : quo sensu dixit Salvator Judæis, Joan. 8. ℣. 37, *Sermo meus non capit in vobis :* ne scilicet peccatorum fœditate rursus a nobis Christum abigamus, sed vitæ puritate gratam ei in nobis habitationem servemus.

Q. 2. *In oratione :* Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, *etc., quid intelligendum per* viscera?

R. Intelligendæ interiores animæ potentiæ, intellectus, voluntas et memoria. Tunc autem Christus adhæret intellectui, quando illum

continuo illuminat; tunc adhæret voluntati, quando eam continuo accendit et inflammat; et tunc adhæret memoriæ, quando eam suæ Passionis, aliorumque infinitorum suorum beneficiorum recordatione occupat.

Q. 3. *Quomodo est intelligendum, quod in eadem oratione dicitur :* Ut in me non remaneat scelerum macula?

R. Ita est intelligendum, ut in me non remaneat nec reatus præteritorum peccatorum, nec pronitas ad peccandum deinceps, quæ post peccatum semel aut frequentius commissum in homine esse solet; nec macula culparum venialium, imo nec mortalium, quæ deletur, quando Sacramentum Eucharistiæ per accidens causat primam gratiam.

Q. 4. *Cur post communionem abluuntur et absterguntur digiti?*

R. Pro reverentia Sacramenti. Nec enim decet iis digitis, quibus Sacerdos tetigit sanctissimum Sacramentum, tangi alia, priusquam abluti et extersi fuerint.

§ 4.

DE POSTCOMMUNIONE.

Q. 1. *Cur sumpta ablutione, concluditur officium per orationem, quæ vocatur* Postcommunio?

R. In gratiarum actionem, quæ de perceptis muneribus plerumque illa continetur : et ut Sacramentorum sumptio salutaris fiat, et id pro quo obtinendo præcipue Missa facta est, impetretur.

[« Ultimo autem, ait s. Thomas, *3. p. q. 83. a. 4,* tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione Mysterii (quod significat cantus post Communionem) et Sacerdote per Orationem gratias offerente, sicut et Christus, celebrata cœna cum discipulis, hymnum dixit, ut dicitur Matthæi vigesimo sexto. »]

Q. 2. *Cur Sacerdos* Communionem et Postcommunionem *dicturus, redit ad cornu Altaris, in quo Missam inchoavit?*

R. Ut significetur Evangelicam veritatem ad Judæorum gentem, unde prodiit primum,

sub finem mundi redituram. Nam Aquilonare cornu Gentilem populum significat, sicut medium Altaris Christum lapidem angularem, qui facit utraque unum.

Q. 3. *Cur ad finem* Postcommunionis *additur salutatio,* Dominus vobiscum?

R. Ut populus jam ad sua revertens non solus, sed Domino in cordibus eorum manente comitatus abeat.

§ 5.

ITE MISSA EST.

Q. 1. *Cur in aliquibus Missis dicitur,* Ite Missa est, *et in aliis,* Benedicamus Domino?

R. In Dominicis, et aliis festivis diebus, quibus convenit populum Missæ interesse, dicitur, *Ite Missa est,* ut populus, cui ad domestica redeundum est, dimittatur. In aliis vero diebus, quibus plerumque vix alii, quam Clerici sunt in officio, dicitur, *Benedicamus Domino,* ad significandum, quod eorum officium sit in divinis laudibus permanere. Sunt tamen Missæ quædam solemnes, et ad quas populus concurrit, et nihilominus in iis non dicitur, *Ite Missa est,* sed *Benedicamus Do-*

mino, ut in Dominicis Adventus, Quadragesimæ, et similibus. Sed hoc fit ad significandam mœstitiam illius temporis. Videtur enim nescio quid lugubre præ se ferre, quod non denunciatur publica dimissio, sed unusquisque per se discedit. Bellarm. *de Missa lib. 2. cap. ult.*

[Hujus discriminis « ratio est, inquit Cav. *tom. V. c. 25. n. 4,* quia olim cum expleta Missa populus ab Ecclesia abibat, Celebrans in fine dicebat, *Ite Missa est;* quando vero absoluta Missa, populus adhuc tenebatur Horarum canonicarum recitationem expectare, potius quam illum dimitteret, hunc cohortabatur sistere ad gratias ibi de expleto Sacrificio Deo agendas verbis illis, *Benedicamus Domino,* hoc est prosequamur adhuc ad Deum benedicendum. Eadem prorsus de causa, *Ite Missa est* omittitur in defunctorum Missis, quia scilicet, expleta Missa, adhuc supererant absolvenda pro defunctis suffragia; unde Diaconus illis verbis, *Requiescant in pace,* adstantes excitabat, ut orationibus insisterent ad requiem defunctis a Deo impetrandam. Cs. Ben. XIV, *sect. 1. n. 388,* et Bona apud Merati.]

Q. 2. *Cur* Ite Missa est *dicitur versus populum,* Benedicamus Domino, *et* Requiescant in pace, *versus Altare?*

R. Quia per *Ite Missa est*, populus dimittitur, atque ideo, dum id dicit Sacerdos, merito ad populum convertitur. Quia vero Deus peculiari modo adest Altari, illudque Christum repræsentat, per quem defunctis requies obtingit, versus Altare dicendum, *Benedicamus Domino,* et *Requiescant in pace.* Dicitur autem semper in plurali *Requiescant in pace,* etsi pro uno Missa fuerit celebrata.

Q. 3. *Quomodo intelligis,* Ite Missa est?

R. Idem est ac si diceretur: Ite, dimissio est. Alcuin. *lib. de divinis officiis, cap. de celebrat. Missæ sub finem;* seu, jam abire licet, peracto Sacrificio dimittimini in pace. Sic olim apud Romanos absoluto funere, et omnibus ad rogum perfectis, Præfica novissimum illud verbum alta voce pronunciabat: I, licet, sive ire licet. Missa ergo hic est missio, quomodo Divus Augustinus *lib. 3. de Baptismo. cap. 18,* remissam accipit pro remissione, et apud veteres idem sunt collecta et collectio.

Q. 4. *Cur post* Ite Missa est, *vel* Benedi-

camus Domino, *respondetur* Deo gratias?

R. Micrologus, *cap. 19. in fine,* dicit id fieri pro collatis beneficiis, quæ Deus cupit a nobis recognosci per gratiarum actionem. Unde *D. Paulus Eph. 5.* ait: *Gratias agentes semper pro omnibus in Nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri;* et 1. Thess. *5, In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis;* Et D. Augustinus Epist. 77, *Quid melius et animo geramus et ore promamus, et calamo exprimamus, quam* Deo gratias? *Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.*

§ 6.

BENEDICTIO SACERDOTIS.

Q. 1. *Cur Sacerdos benedicit populo?*

R. Ut is jam dimissus non sine benedictione divina discedat: et, ut ea sit efficacior, fit cum signo sanctæ Crucis. Typum hujus benedictionis in Testamento Veteri gesserunt benedictiones sacerdotum, quibus Deus jussit, ut populo bene precarentur. *Num. 6,*

quarum ista est forma, *Benedicat tibi Dominus et custodiat te*. Et Levitici 9, completis Hostiis *extendens manus Aaron ad populum, benedixit ei*.

[Hæc Celebrantis benedictio refertur, a Cavalieri cum Porrecta, ad eam quam Christus Dominus in cœlum ascendens impertivit Apostolis suis, ut *Luc XXIV. 50*. Inde infert Cavalieri quam graviter in hac impertienda benedictione sese gerere debeat Celebrans, reminiscens quod hic agit tanquam si esset Domini sui manus, quæ benedictionem hanc impertiret...]

Q. 2. *Cum antiquitus in Missa benedictio data non fuerit, cur ea nunc datur?*

R. Micrologus *in lib. de Eccles. observat. cap. 21*, quod soli communicantes confectioni Sacramentorum antiquitus intererant, et oratio post Communionem, quæ pro communicantibus instituta est, pro benedictione potuit satisfacere : cum autem populus communicare cessaret, nec tamen a divinis officiis se subtraheret, necessario permissum est, ut a Sacerdote benediceretur, ne tam benedictione, quam communione privatus discedere videretur.

Q. 3. *Cur in* Missa pro Defunctis *omittitur benedictio?*

R. Quia cessant in ea lætæ solemnitates, quæ pro vivis fiunt : gaudium enim luctui non debet admisceri. Deinde cum per benedictionem populus excitetur ad benedicendum Deum, cujus benedictionis gratiam Celebrantis ministerio percepit, ad hoc Defuncti velut absentes excitari nequeunt, licet possint nostris suffragiis adjuvari.

§ 7.

EVANGELIUM S. JOANNIS.

Q. 1. *Cur ad extremum subjungitur initium Evangelii S. Joannis?*

R. Id fit ob tria: *Primo,* ut grati agnoscamus, quantus sit, quem vili specie panis et vini tectum accepimus, videlicet Verbum æternum Dei Patris, per quod omnia facta sunt. *Secundo,* ut consideremus, quod hoc *Verbum caro factum* sit, nec simpliciter tantum, ut habitaret nobiscum, sed et eo modo, ut per sacram Eucharistiam habitaret in nobis plenum gratia et veritate, et sic de

plenitudine ejus acciperemus omnes. *Tertio,* ut inculcetur fructus proveniens ex digna ejus sumptione, nempe potestas, ut filii Dei simus, nimirum jam non tantum Spiritu Dei imbuti, sed et Unigenito Filio ejus incorporati et conjuncti.

Q. 2. *Quid est sensus hujus Evangelii?*

R. Is qui subjicitur.

In principio universitatis rerum, initio omnis temporis et durationis, ante omnia creata, *erat Verbum,* mentale scilicet, seu secunda Persona in divinis, quæ vocatur Verbum, Apocal. 19. et 1. Joannis, 5, et alibi, idque convenientissime; quia Verbum mentale est quid productum intelligendo, tamquam expressa et vitalis imago rei intellectæ: quale quid in divinis est solus *Filius, qui est imago Dei invisibilis, Coloss. 1.* Itaque *in principio erat Verbum,* q. d. non aliquo temporis instanti, ut reliqua entia, factum vel creatum est, vel esse cœpit, sed priusquam aliquid fieret, jam inde ab æterno, ac proinde increatum erat, et etiamnum est Verbum : nempe unicum, singulare, divinum, Deo Patri coæternum, ejusque naturalis Fi-

lius. Ita SS. Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Theophilus et Patres Nicæni Concilii. Qui proinde damnant hanc impiam Arianorum blasphemiam : erat (tempus) quando non erat (Verbum). Porro Evangelista secundam Personam in divinis hic potius vocat Verbum, quam Filium, ut concipiamus generationem intelligibilem ac spiritualem et non corporalem. Cæterum, Verbum quod erat in principio et ante mundum conditum, non erat circumscriptive in loco, nec in rebus creatis, quæ necdum erant, sed per se, et in se subsistebat.

Et Verbum erat apud Deum, Patrem ; sic ab eo procedens, ut per se subsistat, nunquam tamen vel ab eo separetur, vel secundum essentiam distinguatur, at bene secundum Personam, ut hic apertissime indicatur. Quomodo enim, qui unus idemque per omnia est, apud semetipsum esse intelligetur, inquiunt S. Hilarius, Cyrillus, Theophylactus? Erat autem Verbum apud Deum, modo spiritibus proprio, et ut genitus apud generantem ; in eadem dignitate, perfectione et natura, seu essentia, atque ita in summa conjunctione, consensu, complexu, amore.

Et Deus erat Verbum. Verbum erat Deus, idem cum Patre. Eadem constructione dicitur 1. Cor. 10, *Petra erat Christus*, et Joannis, 4, *Spiritus est Deus.*

Hoc erat in principio apud Deum. Est recollectio dictorum; et sensus est: Hoc Verbum, quod erat Deus, illud ipsum erat in principio, eratque in principio apud Deum Patrem. Quibus verbis Evangelista clare asserit Verbi æternitatem, illius a Patre distinctionem personalem, et identitatem cum eo essentialem.

Omnia, quæ creata et facta sunt, *per ipsum facta sunt,* vel ex nihilo per proprie dictam creationem, vel ex præexistente materia, per factionem et productionem. Omnia igitur creata et condita, visibilia et invisibilia, a Verbo, sive per Verbum facta sunt tamquam per causam efficientem principalem, non tamquam per causam instrumentalem vel ministerialem, ut volebant Ariani: Causam, inquam, efficientem principalem, sed mediantem secundum originem inter Deum Patrem creantem et creaturas: ita tamen ut etiam Pater immediate immediatione suppositi, et

virtutis attingat a fine usque ad finem creaturas omnes. Itaque conformiter ad mentem Evangelistæ, a Patre per Verbum omnia facta sunt, tamquam per Patris Sapientiam increatam, infinitam Potentiam et Verbum æternum. Ait enim Apostolus, 1. Corinth. 1, *Christum esse Dei Sapientiam;* et Hebr. 1, *per quem fecit et sæcula*, id est, tempora omniaque temporaria et sæcularia; et Ps. 32, *Verbo Domini cœli firmati sunt;* et Psal. 103, *Omnia in Sapientia fecisti.*

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Nihil quod factum est, est factum sine ipso; sive, ne unum quidem (ut innuunt Græca) eorum, quæ facta sunt, est factum sine ipso. Est confirmatio et explicatio ejus quod antea dixit : *Omnia per ipsum facta sunt.* Ne quis enim cum Manichæis putaret res corruptibiles, aut noxias a Verbo, vel a Patre per Verbum non esse factas; vel etiam ne cum Macedonianis putaret Spiritum Sanctum esse factum per Verbum; ideo Evangelista ait, omnia per Verbum esse facta, et nihil esse factum sine ipso : nihil (inquam) quod factum et creatum est. Nam Pater et Spiritus Sanc-

tus non sunt facti per Verbum, quia non sunt quid creatum. Eadem cautione utitur Apostolus, 1. Corinth. 15. explicans Psal. 8: *Omnia* (inquit) *subjecit Deus* Pater *sub pedibus ejus* Christi Filii : *cum autem dicat, omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia.*

In ipso vita erat. Verbum ab æterno ex sua natura vitam habebat : imo ex sua essentia erat vita ipsa et fons vitæ : ac proinde quæcunque vivunt, aut unquam vixerunt, non nisi ex Verbo tamquam fontali vita hauserunt vitam. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Joan. 5. Ex quibus patet, vitam hic, ut principium et causam tribui Verbo tantum respectu viventium : ut sicut Evangelista prius ostendit omnia creata accepisse suum esse a Verbo, ita etiam modo significet omnia viventia accepisse vitam suam ab eodem Verbo : et postea ostendit omnes homines accepisse ab eodem lumen intelligibile et spirituale. Sicut enim est ordo quidam inter esse, vivere et intelligere; ita Evangelista ordinate procedens, ostendit hæc tria prove-

nire creaturis a Verbo. Cæterum, alii aliter hæc interpungunt, et sic legunt : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Id est (inquiunt) quidquid factum est, vita erat in Verbo, et ab æterno fuit vita in Verbo : quia in Deo sunt ab æterno ideæ rerum creatarum, quæ ideæ reipsa a Deo non sunt distinctæ. Et ita unaquæque res est vita in Deo, licet in sua natura vitam non habeat, sitque inanimata. Sed prior interpunctio et sensus est textui Græco et intento Evangelistæ conformior.

Et vita erat lux hominum. Verbum, quod est vita et fons vitæ, erat intellectualis et spiritualis lux hominum, infundendo illis lumen naturale et dictamen rectæ rationis, quo verum a falso, honestum a turpi, prosequendum a fugiendo, discernere possint, juxta illud Psalm. 4 : *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Idem Verbum, quod est vita, erat etiam lux hominum supernaturalis et lux gratiæ.

Et lux in tenebris lucet. Lux Verbi æterna ipsumque lumen intellectuale et dictamen rectæ rationis quin et supernaturale lumen

gratiæ, a principio mundi usque modo, tenebras mentium humanarum dispellit.

Et tenebræ eam non comprehenderunt. Mentes humanæ per peccatum, ignorantiam, erroresque obtenebratæ et obcæcatæ : sive ipsimet homines sic offuscati et excæcati (juxta illud Ephes. 5 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*), lucem non comprehenderunt, nec cognoverunt ; saltem tenebrarum illarum magna pars : imo omnes hujusmodi tenebræ, quamdiu manserunt tenebræ.

Fuit homo missus a Deo. Quia Verbum in sua divinitate tantummodo persistens, et in tenebris lucens, ab iis non fuit comprehensum neque cognitum ; ideo carnem induit, in qua hominibus appareret et manifeste innotesceret. Quo autem melius cognosceretur, a Deo fuit missus homo, non Deus, uti erat Verbum, sed homo et talis homo, quo inter natos mulierum non surrexit major. Homo, inquam, qui Malach. 3, vocatur *Angelus*, non natura, sed officio, quia ad nunciandum Messiam venit, et angelicam vitam duxit.

Missus a Deo. Non venit propria autho-

ritate, quemadmodum pseudoprophetæ, sed missus a Deo, illius interno instinctu; quin et verosimiliter visibili apparitione, externaque missione. Missio hæc signanter contigit *anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris* quando *factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto, et venit in omnem regionem Jordanis prædicans*, etc. Luc. 3.

Cui nomen erat Joannes. Nomen, inquam, a Deo illi impositum, et a Gabriele nunciatum. *Joannes*, id est, Dei gratia : utpote gratuita Dei bonitate contra naturæ cursum parentibus datus, et ad salutem Israelis missus, ac gratia Dei plenus, et Spiritu Sancto repletus adhuc in utero matris suæ.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Joannes ideo venit, ut tamquam testis omni exceptione major testaretur Christum, Verbumque incarnatum esse veram lucem animarum, cujus notitiam, illustrationemque omnes accipere deberent ad salutem. Non quasi hoc lumen sole clarius egeret lucerna Joannis ad sui claritatem et manifestationem, sed quia hominum cæcitas

et incredulitas tanta erat, ut Joannis testimonio præparari debuerint ad hoc lumen agnoscendum et recipiendum.

Ut omnes crederent per illum, Joannem : quantum scilicet erat ex parte ipsius testificantis, ut crederent primum omnes Judæi Joannis testimonium audientes; et per Apostolos, Apostolicosque viros Judæos, omnes omnino gentes ad fidem Christi adducerentur.

Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Judæi quidem æstimarunt Joannem esse Messiam, supremamque lucem, et voluerunt *ad horam exultare in luce ejus,* Joannis 5. Revera tamen Joannes non erat lux suprema, prima, vera, æterna et per naturam, sed tantum Lux secundaria per gratiam et primæ lucis participationem, et *Lucerna ardens et lucens,* Joannis 5.

Erat lux vera. Verbum incarnatum, Christus Filius Dei erat lux vera : non lux falsa, non umbratilis et figuralis, non sensibilis, nec participata : sed lux vera, prima, summa, æterna ei per naturam.

Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, signando super illos

lumen vultus sui, dando illis intellectum et naturale dictamen rectæ rationis, eo ipso quo nascuntur in mundo, in quacumque mundi parte; dando insuper, quantum est ex parte sua, lumen supernaturale gratiæ omni homini nullius omnino illuminationem impediendo. Vel, juxta D. Augustinum *Enchiridii cap. 102* et *lib. 1. de peccatorum meritis cap. 25* : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id est, nullus hominum sine illa vera luce illuminatur, sed quotquot illuminantur, per illam illuminantur. Sicuti Psal. 144. dicitur, *Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.*

In mundo erat. Antequam Verbum veniret in mundum per Incarnationem, erat per divinitatem suam in mundo secundum essentiam, præsentiam et potentiam.

Et mundus, visibilium et invisibilium universus orbis, *per ipsum factus est.* Ab ipso tamquam principali causa efficiente : per ipsum tamquam Verbum Patris : et in ipso, tamquam in immenso, omniaque continente essendi pelago.

Et mundus eum non cognovit, homines

mundani, rebus sæcularibus dediti et peccatis excæcati, non cognoverunt Verbi, Deique divinitatem : quam tamen divino lumine agnoscere debuissent : *A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Sapient. 13. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* Rom. 1. Qui autem æternam hanc lucem, Deumque aliquatenus cognoverunt per cognitionem speculativam, non cognoverunt tamen per veram cognitionem practicam : *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, Rom. 1.*

In propria venit, et sui eum non receperunt. Lux æterna, *visitavit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris et umbra mortis sedent.* Lucæ 1. Verbum per sui incarnationem venit novo modo, et visibiliter in mundum suum a se conditum sibique proprium : *Et sui,* homines mundani a se conditi, *eum non receperunt,* recipere noluerunt sed rejecerunt. *Lux venit in mundum, et di-*

lexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem : et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Joan. 3. *Venit*, etiam, *in propria*, id est, in Judæam, ad gentem Israeliticam sibi propriam et peculiarem, a se electam, et in qua, ex qua, et propter quam natus fuit. *Et sui eum non receperunt*, id est, Judæi eum reprobaverunt.

Quotquot autem, Judæi, Gentiles, Græci, Barbari, liberi, servi, senes, pueri, mares, feminæ, cujuscumque conditionis, sexus, ætatis, nationis homines, *receperunt eum*, per fidem vivam :

Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Contulit dignitatem, excellentiam, præeminentiam hanc, ut fiant sintque filii Dei adoptivi, hoc ipso quod eum receperunt.

His qui credunt in Nomine ejus, scilicet fide viva, *quæ per charitatem operatur*. Galat. 5.

Qui non ex sanguinibus, id est, ex humano semine, quod, quia sanguinei alimenti est residuum, vocatur sanguis. Ita Cornelius a

Lapide, *Comment. in Evangel. S. Joan.*, *cap. 1. v. 13.*

Neque ex voluntate carnis, id est, ex appetitu sensitivo concupiscibili et concupiscentia feminæ, quæ est *caro de carne.* Gen. 2. *neque ex voluntate,* concupiscentia *viri, sed ex Deo nati sunt,* id est, credentes fiunt Filii Dei; et *ex Deo nati sunt,* non per carnalem generationem, sed per spiritualem regenerationem : per fidem vivam, Baptismum, gratiam et spiritum adoptionis, quibus efficiuntur *divinæ consortes naturæ. 2.* Pet. 1.

Et Verbum caro factum est. Ut homines fierent Filii Dei, ipse Filius Dei factus est homo. Verbum non assumpsit carnem sine anima humana, uti dogmatizabant Ariani : neque carnem cum anima sensitiva tantum, ut volebat Apollinaris, dicens in Christo animam rationalem fuisse suppletam per divinitatem ipsius : neque *Verbum* sic est *caro factum,* quasi ex commixtione Verbi et carnis sine anima humana, sit facta una natura; ita ut Verbum non manserit consubstantiale Patri, nec humana natura consubstantialis nostræ, uti asserebant Eutyches et Diosco-

rus. Sed *caro* accipitur hic synecdochice (ut alibi sæpius) pro toto homine, sive integra natura humana. Et est sensus : Verbum est factum homo : sive Verbum assumpsit corpus et animam humanam in unitatem Personæ, suppositans naturam humanam personalitate Verbi : ita ut Deus et homo sint una persona, eaque divina, non duæ personæ, uti asserebat Nestorius. Cæterum Evangelista potius dixit Verbum carnem factum, quam hominem; ad ostendendam magnitudinem divinæ erga nos bonitatis, dignationis, demissionis et exinanitionis; ad astruendam etiam veritatem Corporis Christi, non aerei, nec phantastici, quod quidam delirarunt.

Et habitavit in nobis. Verbum habitavit in humana nostra natura, tamquam in tabernaculo suo; nam *in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Coloss. 2. Habitavit etiam *per fidem in cordibus nostris*. Eph. 3. Ultimo et optime *habitavit in nobis,* id est, inter nos homines conversatus est, juxta Baruch, 3. *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus;* et Zachariæ, 2 : *Lauda et lætare filia Sion, quia ecce ego*

venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus.

Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Licet Verbum esset nube humanitatis nostræ obtectum; tamen intellectu et sensibus spectavimus et conspeximus erumpentes radios gloriæ et majestatis ipsius in miraculis, vita, morte, transfiguratione et ascensione. *Gloriam quasi Unigeniti a Patre. Vidimus gloriam ejus* talem, qualis decebat eum, qui est unicus Filius naturalis, a Deo Patre genitus ab æterno : qui idem est *Primogenitus in multis fratribus*. Rom. 8. Quibus sicilicet *dedit potestatem filios Dei fieri* per adoptionis gratiam.

Plenum gratiæ et veritatis. Hic *plenum* (ut constat ex Græco) est nominativi casus, debetque (interposita parenthesi) construi cum *habitavit in nobis*, et est sensus : *Verbum* incarnatum *habitavit in nobis plenum gratiæ et veritatis. Plenum*, inquam, *gratiæ;* quia in ipso erat plenitudo omnis *gratiæ; et de plenitudine ejus omnes accepimus*. Joan. 1. Christus etiam fuit mire gratiosus, præferens in omnibus verbis et factis suis summam

gratiam. Insuper fuit *plenum gratiæ,* id est misericordiæ, benignitatis et beneficentiæ. ***Et veritatis :*** hoc idem Verbum incarnatum fuit alienissimum ab omni falsitate, mendacio et errore : fuit completivum omnium Legis veteris umbrarum et figurarum : fuit veracissimum in cognoscendo, dicendo et promissa præstando.

Q. 3. *Cur hic in fine Evangelii dicitur,* Deo gratias, *cum in fine præcedentis Evangelii dictum sit,* Laus tibi Christe?

R. Quia prius Evangelium significat prædicationem Christi, alterum prædicationem Apostolorum. Gavantus *loco supra citato, part. 2. tit. 12.* Atque ideo etiam fortassis Sacerdos lecto priori Evangelio librum osculatur, non item perlecto altero, ne par utrique prædicationi reverentia deferatur. Quia tamen idem est Evangelium, quod Christus et Apostoli ejus prædicarunt, sicut Sacerdos ante recitationem prioris Evangelii librum, et seipsum signat, ita quoque, et eodem modo ante recitationem posterioris Evangelii signat librum, seu Altare, ac seipsum.

QUINQUE PUNCTA

ANTE ET POST MISSAM UTILISSIME RECITANDA.

I.

Detestor et abominor omnia et singula peccata mea, et omnium aliorum commissa ab initio mundi usque in hanc horam, et deinceps usque ad finem mundi committenda, et si possem, ea impedirem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

II.

Laudo et approbo omnia bona opera facta a principio mundi usque in hanc horam, et deinceps usque in finem mundi facienda, et si possem, ea multiplicarem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

III.

Intendo omnia facere, dicere et cogitare ad majorem Dei gloriam, cum omnibus illis bonis intentionibus, quas Sancti unquam habuerunt, vel habebunt, vel habere possunt.

IV.

Ignosco et dimitto ex toto corde omnibus inimicis meis, omnibus me calumniantibus, omnibus mihi detrahentibus, omnibus quocumque modo mihi nocentibus vel volentibus mala.

V.

Utinam omnes homines salvare possem moriendo pro singulis! Lubenter id facerem per gratiam Dei, quam supplex invoco, et sine qua nihil possum.

SUPPLEMENTUM.

DE GRATIARUM ACTIONE POST MISSAM.

[Ut Sacerdos suo erga J.-C. officio fungatur, uberrimosque Missæ fructus tam Ecclesiæ, quam sibi suisque consequatur, non sufficit ut Missæ congruam præmiserit præparationem, eamque peregerit conscientia pura, atque exteriori devotionis ac pietatis specie, prout ordinant Rubricæ Summorumque Pontificum decreta; sed insuper requiritur ut non prætermittatur congrua gratiarum actio. Quare pro coronide nonnulla hic veniunt subjungenda de ejusdem necessitate et praxi.

I. *Ejus necessitas* fluit quidem ex ipsa rei natura; juvat tamen eam magis ac magis patefacere, præsertim argumento deducto a praxi fidelibus tradita. Tam confessarii quam concionatores, Ecclesiæ monitis obtemperan-

tes, non prætermittunt, quoties occasio se offert, fideles vehementi sermone commonere atque exhortari, ut S. Communione percepta, debitas Deo agant gratias de tam singulari beneficio. « Moneantur præterea communicantes, ait Rituale Rom. *tit. de SS. Eucharistiæ Sacramento*, ut sumpto Sacramento, non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut exspuant, neque de libro statim Orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant; sed, qua par est devotione, aliquantisper in oratione permaneant gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima Passione Dominica, in cujus memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur. »

Hæc autem a fortiori applicanda sunt Sacerdotibus. Etenim manifestum est Sacerdotem, qui SS. Missæ sacrificium celebravit, multiplici respectu strictius, quam fideles, teneri ad debitas gratiarum actiones post Communionem. Namque Sacerdos, 1° non solum sacram percipit Eucharistiam, sed etiam ipsum ineffabile Sacrificium offert, tamquam

publicus Ecclesiæ minister; 2° non solum aliquoties in anno, ut plerique fideles, sed quotidie beneficio S. Communionis donatur. « Si homines, inquit S. Joannes Chrysostomus (*hom. 26, in cap. 8 Gen. apud S. Lig. cit. in Selva, Inst. 1. n. 16*), *parvum beneficium præstiterint, expectant a nobis gratitudinem ; quanto magis id nobis faciendum in iis, quæ a Deo accepimus, qui hoc solum ob nostram utilitatem vult fieri!* » 3° Tandem, ratione proprii officii tenetur fidelibus suo prælucere exemplo, et quod docet imitari. (Conf. Pont. Rom. *de ordinatione Presbyteri.*)

Circa hoc tertium, juvat sequentia ex sacris Scripturis huc afferre. Sacerdos est *sal terræ, lux mundi* (Matth. V. 13, 14); et seipsum in omnibus præbere debet *exemplum bonorum operum..... ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (Tit. II. 7, 8. — *Cf.* Pont. Rom. *l. c.*). Quomodo autem dici poterunt hæc præstare illi Sacerdotes qui negligentes fuerint in peragenda gratiarum actione post Missam? nonne potius ad ipsos pertineat hoc

tremendum Christi Domini judicium, Matth. XXIII. 3 : « *Omnia ergo quæcumque dixerint servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt?* »

Denique serio etiam perpendantur quæ S. Alphonsus de Lig. (in opere, quod sermone italico edidit, sub titulo *Selva*) de eadem re tradit, *part. II. Inst. 1, n. 16*. En aliqua ex ejus verbis Sermone latino ex italico reddita : « At, inquit, quæ miseria, quæ inordinatio est videre tot Sacerdotes, qui, finita Missa, vix dictis aliquibus brevibus precibus in sacristia, sine attentione, ac sine devotione, statim effunduntur in sermones de rebus inutilibus, aut de negotiis mundanis! vel etiam ab Ecclesia discedunt, et Jesum Christum per vias deferunt! Respectu ad istos opus semper foret medio, quo una vice usus est magister Avila : ipse videndo quemdam Sacerdotem ab Ecclesia discedentem statim post Missæ celebrationem, duobus commisit clericis ut illum comitarentur cum duobus intortitiis. Qui a sacerdote interrogati quid hoc sibi vellet, responderunt : Associa-

mus SS. Sacramentum quod adest intra tuum pectus. Istiusmodi Sacerdotibus bene quadrat quod S. Bernardus scripsit ad Archidiaconum Foulques : *Heu! quomodo Christum tam cito fastidis? Epist. 25.* Heu! quomodo tam cito fastidis societatem Jesu Christi qui est in te? » Cfr. dicenda cum Vinitore, ad II.

II. *De ejus praxi.* Sacerdos, qui ad hæc attendit, gratiarum actioni post Missam vacare studet. Peracto SS. Missæ sacrificio, recollecto animo, debitas agit gratias pro tanto beneficio, precesque fundit hoc tempore tam propitio, tam acceptabili. Huncque in finem recitat orationes in missali positas, aliasque pro opportunitate. Vacare etiam potest piis meditationibus; imo congruit ut non tantum preces vocales recitet , sed ut, pro sua devotione et temporis opportunitate, plus minusve versetur in oratione mentali, præsertim de sanctissima Dominica Passione.

« Peracto sacrosancto Missæ sacrificio, inquit Vinitor, *Part. II. Tit. 12.* § *15,* non minor cura, quam ad antecedentem Missæ præparationem, requiritur, ut quisque

in omni silentio ac quiete actionum, locutionum, sensuum, et cogitationum, sese contineat; et si per occupationes diu non potest, paulisper tamen, et per quartam minimum, aut octavam saltem horæ partem, devote secum meditetur, et intenta cogitatione perpendat quis, quid egerit... et qua fide... Nam quod Sacerdotes multi quotidie aut frequenter sacrificent, pauci autem ex illis proficiant, et multi vani omnique solida pietate vacui existant, non alia arbitratur esse causa, quam quod sine ullo timore ac devotione tam Sanctum opus aggrediantur, et perfunctorie atque ex quadam consuetudine aut necessitate magis quam ex sincera et vera devotione perficiant, et mox una cum sacris vestibus omnem rei peractæ cogitationem deponant, omnemque internam et externam pietatis formam exuant, totoque corde et animo ad fabulas, ad vana et otiosa effundantur. Quod sane non facerent, si meditationi sanctæ debito modo aliquamdiu intenti fuissent; et illustriorem in se quotidie custodiæ exterioris et interioris hominis debere esse disciplinam, quam in laicis quando in festo Paschæ Corpus Domini accipiunt, sentirent. »

Advertendum est spatium quartæ partis horæ, impensum gratiarum actioni, non haberi a Vinitore ut absolute sufficiens, sed hoc concedi propter occupationes. Idem sentit S. Alphonsus de Liguorio, in *Selva, l. c. n. 17*. Ibi tradita de gratiarum actione post Missam ita concludit. « Itaque conversemur cum Jesu Christo post Missam, saltem per mediam horam; saltem per quadrantem; sed eheu! nimis parum est quadrans. Debemus perpendere Sacerdotem, a die suæ ordinationis, non amplius esse sui, sed Dei. Dixit S. Ambrosius : *verus minister altaris Deo, non sibi, natus est*. Et antea id dixit Deus : *Incensum... Domini et panes Dei, sui offerunt; et ideo sancti erunt*. Lev. 21. 6. » Quod ita exponit Corn. a lapide : Hebr. *ideo sanctitas erunt*, q. d. : ideo sanctissimi erunt et purissimi, ut videantur esse ipsa sanctitas.

Hic quidem non est locus agendi de causis propter quas aliquando potest, aut debet gratiarum actio ad aliud tempus differri, aut saltem contrahi. Illud tamen monendum est, non posse probari praxim qua *promiscue* Celebrans, sacris exutis vestibus *statim* aut

aliquot post oratiunculas pergat ad audiendas sacras confessiones, gratiarum actione prætermissa, vel ad aliud tempus dilata. Quod confirmatur auctoritate S. Alphonsi de Liguorio, longa experientia docti. Qui, licet maximo fragrans zelo charitatis erga peccatores, ut nemo nescit, nihilominus non permittit ut Sacerdotes suæ Congregationis, etiam quando in Missionibus occupantur, minus quam quadrantem prædictæ gratiarum actioni impendant, non obstante magna populi frequentia, confessariorumque penuria.

Palam igitur est quanti sit momenti tam congrua præparatio ad Missam, quam ejusdem recta celebratio, atque congrua post eamdem gratiarum actio; et tamen valde proni sunt Sacerdotes ad declinandum a via recta, omnibusque modis probata, et ad perfunctorie ac humano prorsus modo tractandum illud Divinissimum opus. Itaque muneris boni confessarii erit invigilare, et, quantum in se est, procurare ut Sacerdotes quorum confessiones audit, diligentes sint in præparatione ad Missam, in recta ejus celebratione, ac in gratiarum actione post eamdem. Utile erit,

imo quandoque necessarium, ut pro sacramentali pœnitentia imponatur seria lectio, aut etiam meditatio argumentorum, quibus cuique legenti manifestum fit quam sit necessarium prædicta recte et omni cum diligentia ac religione peragere.]

O. A. M. D. G.

INDEX.

CAPUT I.

QUÆDAM PRÆLUDIA MISSÆ.

CAPUT II.

INITIUM MISSÆ, ET QUÆDAM ALIA ILLUD CONSEQUENTIA, USQUE AD OFFERTORIUM.

CAPUT III.

OFFERTORIUM ET QUÆ ILLUD CONSEQUUNTUR USQUE AD CANONEM MISSÆ.

CAPUT IV.

DE CANONE MISSÆ.

CAPUT V.

DE IIS QUÆ CANONEM SUBSEQUUNTUR USQUE AD SUMPTIONEM.

CAPUT VI.

DE SUMPTIONE ET RELIQUIS USQUE AD FINEM MISSÆ.

FINIS.

Tornaci, ex typis H. Casterman.

